910287 I
Mag. St. Dr.

MARIAE MANCIPIVM:

SIVE

MODVS TRADENDI SE IN MANCIPIVM DEIPARAE VIRGINI.

Multis ante sæculis sanctè vsurpatus, nunc locupletior in lucem datus.

Domus Probationis Cracovien. Soc. IESV

Operâ & studio.

FRANCISCI STANISLAI PHOENICII SOCIETATIS IESV.

Superiorum permissu.

LVBLINI,
Typis Pauli Conradi, Anno Domini,
M. DC. XXXII.

AVdi fili, & accipe consilium intellectûs, & ne abiicias consilium meum. Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: subijce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est in illâ, & vincula illius alligatura salutaris.

Ecclesiastici Cap: 6. vers. 24. & sequentibus.

ILLV-

BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
910287
I

APPROBATIO.

Librum qui inscribitur: MARIÆ MANCIPIVM: *siue, Modus tradendi se in Mancipium Deiparæ Virgini; Operâ & studio* R. P. *Francisci Stanislai Phœnicij Societatis* IESV *concinnatum; vtpote deuotioni & saluti Christi fidelium apprime proficuum & vtilem, nec quidquam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Fidei, & bonis moribus repugnantem & dissonum; ad laudem & gloriam præpotentis Dei, & cultum Beatissimæ Virginis, Matris Saluatoris nostri Sacratissimæ promouendum, typis dignum iudico. Lublini* IX. *Maij, die festo Sancti Gregorij Nazianzeni, Anno Domini,* M. DC. XXXI.

Iacobus Piasecki, I.V.D. Vladislauiensis Lublinensis Archidiaconus, Canonicus Posnaniensis, Iudex Tribunalis Regni Poloniæ Deputatus.

FACVL-

§(✱)§

FACVLTAS R. P. GASPARIS DRVZBICKI Prouincialis Societatis IESV in Regno Poloniæ.

Cùm quatuor Theologi nostræ Societatis ad id deputati, librum, qui inscribitur: MARIÆ MANCIPIVM: siue, Modus tradendi se in Mancipium Deiparæ Virgini; Operâ & studio P. Francisci Stanislai Phœnicij nostræ Societatis concinnatum, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultate mihi concessâ ab Admodum R. P. N. MVTIO VITELLESCO Præposito Generali, concedo vt imprimatur, si ita illis quorum interest videbitur. Cracouiæ 25. Martij, die festo Sacratissimæ Annunciationis Beatissimæ Virginis, Anno Verbi Incarnati, M.DC.XXXI.

GASPAR DRVZBICKI
Prouincialis Poloniæ
Societatis IESV.

ILLV-

(*)

Illustrissimo Domino,

D. IOANNI NICOLAO DANILOWICZ DE ZVROW, SVPREMO REGNI POLONIÆ THESAVRARIO,

Præmisliensi, Samboriensi, Ceruonogrodensi, &c. &c. &c. Capitaneo, Domino colendissimo,

AD te, Illustrissime Domine, lento quidem, sed læto gressu, hilarique fronte properat MARIÆ *Mancipium. Quidni enim ad lucem Illustrissimi tui nominis vltro currat, vbi securè tutòque quiescere possit? Subuerebatur prodire palam, pauebat nonnullorum oculos &*

linguas, timebat ostentare propria quibus sacrosanctè constringitur vincula, verecundabatur quibus grauatur compedes: at vbi primùm authoritatem tuam, splendorisq; dignitatem conspexit, deposito vano timore & rubore, gestienti animo in publicum prorumpit. Scit probè, gloriosas in cælis esse suas compedes; quippe Cælorum Reginæ Mancipium est: scit, dulce & decorum esse, cælestibus hisce vinculis colligari; quia veræ libertatis filiorum Dei, tessera sunt & certissimum

mum argumentum: scit, in su-
perná patriâ, quas gestat pe-
dicas honorari, quas tamen in
exilio minùs fortasse æstimari
dolet. Te proinde, Illustrissime
Domine, cui compedum vin-
culorumq́ suorum, bene per-
specta probataq́ dignitas est,
lubens adit; te Patronum, Pro-
tectorem & Patrem, colit &
veneratur. Patere igitur Illu-
strissime Domine, istis ipsis pe-
dicis & compedibus Marianis
onustum hospitem, Illustrissi-
mam Domum tuam ingredi;
sereno vultu, piâq́ manu, totius
Vniuersi Dominæ Mancipi-

um suscipe. Id sacer ille tuus, erga Deiparam Virginem propensus animus, iure suo exposcit; tuæ enim deliciæ, tui cordis amor, tuæ mentis cogitatio, est MARIA. Hoc probi omnes in te suspiciunt & deprædicant; hoc templum tuum Vchaniense, in honorem Virginis Assumptæ, magnificâ impensâ & apparatu constructum, proclamat; hoc ipsiusmet Virginis Sanctissimæ nobilis illa & sacra imago, ditissimus Illustrissimæ Domûs tuæ thesaurus, quæ miraculorum gloriâ claret, à te pretiosissimis

nis ornata monilibus, confitetur; hoc denique tuæ illæ quotidianæ exercitationes, pro honore Magnæ Matris, attestantur. Quod vt cum maiori meritorum cumulo facias, Illustrissime Domine, vnâ cum Illustrissimâ Coniuge tuâ, beatis hisce & felicibus vinculis ac compedibus Reginæ Cælorum, Thesaurariæ Sanctissimæ Trinitatis, illigari, non dedignare: seruire etenim & mancipari Dei Matri, hoc demum est verâ libertate gaudere, hoc solum & unicum est, veros inuenisse thesauros; quia (teste S. Bernardo Serm. in Natiuit. Mariæ)

riæ) totius boni plenitudinem Deus posuit in Mariâ: vt proinde si quid spei in nobis est si quid gratiæ, si quid salutis, ab eâ nouerimus redundare: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. Vale & viue feliciter. Ex Collegio Lublinensi Societatis Iesv, 8. Maij, die festo Apparitionis S. Michäëlis Archangeli, Anno D. 1632.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ

Seruus in Christo

Franciscus Stanislaus Phœnicius Societatis IESV.

AD LECTOREM.

SPero, mi Lector, Mancipium hoc Augustissimæ Cælorum Reginæ, easq; quibus antæ Matri colligatur compedes, tibi non ingratas fore, quin imò in animo tuo effecturas, vt, vbi earum originem ac finem perspexeris, in tui erga Deiparam amoris & obsequij non vulgare testimonium, familiares tibi sis facturus. Præcipuè, cùm id, seu in vsu Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, seu in piis variarum Regionum, Religionum, Ordinum ac cætuum deuotionibus, non insolens sit, suum erga Dominam hanc affectum, exterioribus signis & indiciis, contestari. Illud porrò te monitum esse velim, deuotionem hanc mancipandi se Deiparæ, gestandiq; compedes Mariæ sacras, non esse recens omnino & nouum Lublini inuentum; à multis retro actis sæculis (vti ex B. Petro Damiani, quem Cardinalis Baronius in Notationibus Martyrologij Romani ad diem 8. Maij: *Scriptorum integerrimum*, appellat,

& ex Cæsario, suo loco constabit) sua traxit originem: quæ nunc in dies maiora, Deo & Deiparâ fauentibus, in Belgijc Germaniæ, aliarumq́; Christianarum Prouinciarum celeberrimis Academiis, felicia sumit incrementa. Vale; & si amicus es, in Marianis vinculis, gloriosus Mariæ captiuus, lætos seruitij tui dies age; sin inimicus, ne carpas; non hîc Xerxis compedes sunt, quibus (teste Herodoto lib. 7.) superbus Rex Persarum, elatum mare Hellesponticum vinciebat; sed vincula sunt dicata Mariæ, quibus humiles seruos suos, Deo & Sibi, æterno nexu, humilis ligat Maria.

ORIGO ET CAVSÆ MANCIPATVS MARIANI.

INter cætera pietatis opera, quæ in honorem Virginis Matris, deuoti eius clientes solent frequentare, facilè princeps est, se Vniuersi Dominæ seruum & Mancipium profiteri. Hoc enim exercitium, in potissimâ dignissimâq; actionum, quas Virgini etiamnum viuenti vsitatas meminimus, fundatur; in eo, inquam, humilitatis actu, quem sacratissimo Angelicæ salutationis die exercuit, cùm mysterium Diuinæ Incarnationis nuncianti Archangelo respondit: *Ecce ancilla* (siue *serua*) *Domini.* Luc. 1. v.8. Cùm enim his verbis, in profundissimam humilitatis abyssum, & ad ipsissimum eius adeo centrum & summam perfectionem se demiserit, quod ipsamet Deipara Virgo protestata est dicens; *Respexit humilitatem* (vel vt alii ex Græco vertunt: *vilitatem, seu nihileitatem*) *ancillæ suæ*. Luc. 1. v. 48. considerando infi-

nitam Dei, nostrûm causâ se exinanientis, bonitatem, magnitudinem, maiestatem; dubitare minimè oportet, quin infimum, extremumq; seruitutis gradum, qui Mancipiorum est, iam ancillantibus animæ corporisq; obsequiis, promptissimè delegerit; vt sanè quisquis admirabile illud Virginis & Archangeli colloquium expenderit, facilè intelligat, quandam sacri Mancipatûs catenam, & Virginea quædam vincula, quæ Deum ipsum ad clementiam & exequendum promptissimè Incarnationis mysterium quodam modo cogerent, fuisse id temporis à Matre Virgine formata; illustrissimis, excellentissimisq; virtutibus, velut totidem pretiosissimis annulis, in Parthenias compedes consertis. Primum vinculum fuit; Virginis pudor, & amabilis verecundia, nam: *Turbata est in sermone eius.* Luc. 1. v. 29. Secundum; Matura quædam & cælestis Prudentia: *cogitabat qualis esset ista salutatio.* Ibidem. Tertium; Salutaris & sanctus

Ti-

Timor; cuius causâ, eam affatur Archangelus: *Ne timeas Maria.* Ibid., v. 30. Quartum; Purissima & immaculata Virginitas: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ibidem v. 34. Quintum; Perfectissimum parendi studium, & accuratissima obedientia: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ibid. v. 38. Sextum; Fides viua: *Beata, quæ credidisti.* Ibid. v. 45. Septimum; Humilitas: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ibidem v. 38. Quæ vel vnica virtus Virginis, Deum è cælis in terras euocauit, teste Bernardo Homilia 1. super Missus est, in laudibus Virginis Matris, vbi ait: *Maria, etsi placuit ex Virginitate, tamen ex humilitate concepit.*

Vincula adeo robusta & valida, quæ vel ipsam Dei immensitatem & infinitatem, arctissimè constringerent, & ex cælis ad terras detraherent; ita, vt non citiùs hæc catena fuerit absoluta, & ardentissimis Mariæ votis in cælos transmissa, quàm: *Verbum caro factum* sit. Ioannis 1. v. 14. Sic

my-

mystica hæc altissimarum humillimæ Virginis virtutum catena, aureâ illâ sed fabulosâ Homeri (Iliados lib. 8.) catenâ, infinitè nobilior validiorq; , Deum è cælis hominibus attraxit. Atq; ita Deus omnipotens, excellentissimarum virtutum Virginis amore captus, in eius sanctissimo vtero, arctissimo & indissolubili vinculo vnionis hypostaticæ, æternaliter humanæ naturæ colligatus, compedibusq; mortalitatis nostræ constrictus à Virgine, & in carcerem humanitatis à Matris suæ amore, *dulci* illo *tyranno*, (sic amorem vocat S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 27. aliàs 28.*) dulciter reclusus est. Quod olim Ieremias prædixerat: *Femina circumdabit virum.* Ierem. 31. v. 22. Et ipse Spiritus sanctus in Cantico Canticorum Salomonis Cap. 7. v. 5. præsignificauerat: *Purpura Regis vincta canalibus*; Iuxta 70. Interpretes: *Rex ligatus in transcursibus*; iuxta alios: *Rex stipatus canalibus*; iuxta alios: *Rex ligatus in tignis*; seu: *Rex liga-*

ligatus in domo. Transcursus ;hi & canales, fuit virginalis ille, *cælum* à Sancto Ioanne Damasceno (*Orat. 2. de Natiuit. B. Mariæ*) vocatus Deiparæ vterus, in quo, Rex æternæ gloriæ, suaui ligaturâ humanæ carnis, ex purissimis sanguinibus Virginis Matris à Spiritu sancto formatæ, ligatus est. Sicq; Virgo Beatissima, domus Deo grata, dignum Dei Filio hospitium extitit. Miram sanè Virginis potentiam, quæ Vnigenitum Dei Filium, è sinu æterni Patris, in suum Virginalem vterum euocauit; illumq; Fortem, *portantem omnia verbo virtutis suæ* (ad Hebræos c. 1. v. 3.) humanæ mortalitatis ergastulo incarceratum, suisq; Virgineis visceribus incatenatum, mundo edidit Saluatorem, infantemq; & vagientem Deum fasciando, *pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio*. Luc. 2. v. 7. *Quis dignè mirari valeat? Quis non obstupescat?* exclamat Sanctissimus Cardinalis Petrus Damiani Serm. 61. in Natiuitate Domini, *quòd is,*
qui

qui cæli immensitate non capitur, in angusto præsepio reclinatur? Qui electos suos stolâ immortalitatis induit, vilibus pannis contegi non contempsit. In stramine recubuit animalium, qui cibus est Angelorum. Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus subministrat, raras de Virgineo pectore guttas lactis expectat. Exprimitur lac ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Felix ista Puerpera, quæ sic gaudet de fæcunditate prolis; vt nequaquam doleat de amissione Virginitatis: quæ illum fouebat, à quo fouebatur; illum in vlnis gestabat, à quo totius mundi machina continetur. Stringitur à Matre puerilibus fasciis infantulus, qui cum Patre omnium rerum iura gubernat immensus. Hucusq; B. Petrus Damiani.

Miram vnigeniti æterni Patris bonitatem & benignitatem, *qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Ad Philippenses 2. v. 7. 8. Ne-

Neq; hîc conſtitit Diuinus amor. Ver-
um illud æternum æterni Patris caro fa-
um, fit cibus hominum in Euchariſtico
cramento; in quo Maieſtas Diuina vnà
um humanitate, ſub ſpeciebus panis &
ini, ceu in dulci & ſuaui quodam carce-
e, tota ſimul & integra recluditur. Sic
alila amor ille hominum, cæleſtem
amſonem Chriſtum Ieſum, fortiſſimis
pecierum Sacramentalium funibus vin-
tum ligat, ligabitq; vſq; ad finem mundi;
uippè Deus *cùm dilexiſſet ſuos, in finem*
ilexit eos Ioan. 13. v. 1.

Primus itaq; vnigenitus Dei Filius, in Virginali vtero caro factus, virgineas compedes, & Parthenia vincula humanæ carnis in terris circumtulit, & in æternum feret: Matris ſuæ Sanctiſſimæ ſacrarum Compedum & Mancipatûs, factus author & primus inſtitutor.

Ad imitationem horum nobiliſſimorum actuum Chriſti Domini & Beatiſſimæ Virginis, meritiſſimò deuoti clientes Virginis, vltro ambiunt & profitentur, ſe eſſe pro-

proprios seruos & perpetua Mancipia Augustissimæ mundi Imperatricis Virginis Mariæ; quæ propter seruæ & Ancillæ nomen, ad summam Dei Matris dignitatem exaltata; *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, canit ipsamet humilis Virgo; *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Luc. 1. v. 48. Atq; ita, propter summam sui depressionem, supremum Vniuersi Dominium, in cælis, & in terris, & in inferis, super Angelos & homines, sibi à Deo collatum obtinuit; iuxta illud D. Bernardi, Serm. de B. Virgine Mariâ, in illud Apocalipsi. 12. v. 1. Signum Magnum: *Meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam.* Quod Virginis Dominium vt clariùs pateat, ex sequentibus discursibus planum fiet.

DISCVRSVS I.

MARIA est nostra Domina, nos illius serui & mancipia naturaliter.

INter plurimas easque excellentissimas pretiosissimæ Parentis Mariæ Virginis dignitates ac prærogatiuas, quas ex vnico illo, nec vnquam satis ab vllâ creaturâ

explicando Dei Matris titulo refluentes
redundantesq; accepit, est etiam Domi-
num, quod illa à Domino Deo suo in res
omnes omnino accepit.

Tanta enim est Maternitatis Diuinæ
sublimitas atq; amplitudo, vt post innu-
mera bona, quæ post sese in eam, cui di-
uino munere conceditur, naturam indu-
cit, insuper eam vsq; adeò extollat, vt eam
quodammodo ex ordine creaturarum re-
liquarum exemptam, faciat illarum Prin-
cipem, Reginam, Hæredem, Dominam.

Neque id cuiquam aut absurdum aut
nimium videri debet. Nam si Maternitas
Diuina, Dei Matrem facit ipsimet Filio
Dei atq; Deo vero venerabilem, affertque
secum ius quoddam & potestatem, & sin-
gularem in eum authoritatem; quantò
magis eadem Maternitas, Dei Matrem e-
uehere super omnes creaturas, earumque
Principem & Dominam constituere po-
test? Equidem tantum abest, vt mirum sit
id dignitatis in Dei Matrem à Materni-
tate redundare, potiùs vt valde mirum es-
se

se debeat, si non redundaret. Cui eni post Deum æquè dignè conuenire in re omnes Dominium poterit, quàm Diuin Matri? Satis constat, Deum esse Natur lem Dominum rerum omnium, vt pot quarum sit author atq; fabricator. Consta etiam Filium Dei, secundam Diuinitati personam ac Deum ipsum, esse Filium ve rum Matris suæ, videlicet Mariæ. Const præterea, filios esse sub potestate, & pert nere ad possessionem parentum suoru ob quod etiam subditi esse, & reuere atque obsequia præstare, & omni pi tatis honore parentes prosequi tenentu quibus hæreditario, possessionali, rega & regnatiuo iure subiecti sunt.

Nam cùm parentes sint filiorum cau atque principia, à quibus Filii originer existentiam, substantiamque suam tota trahunt, fit, vt Parentes filiorum suoru sint veluti quidam Dii, (ita Hierocles pud Ioannem Stobæum Serm. 77. Pare tes, secundos ac terrestres quosdam Deo & Deorum imagines appellat) & specta

nuc

ndo iure naturali, habeant ius vitæ in filios, adeo, vt illos seruos sibi facere, & pro se in seruitutem dare valeant (vti ex cap. 21. Exod. v. 7. doctissimus Leonardus Lessius, de Iustitiâ & Iure lib 2. c. 5. dubit. 2. n. 17. colligit) filiorum autem subditi atque serui, seclusis legibus positiuis, esse non possint: fit etiam, vt parentibus filii honorem prope Diuinum, quem Pietatem vocamus, debeant, subiectionemque illis omnem, ipsâ etiam seruili, si quæ est, pleniorem ac efficaciorem, impendere teneantur. Neque ab eâ obligatione Dei filius exemptum se esse voluit, sed quidquid potest Filius Matri debere, id ille Virgini summâ voluntate & debere voluit, & præstare, iuxta illud Lucæ 2. v. 51. *Et erat subditus illis.*

Quæ res si ita se inter filiorum ipsorum personas atque suos parentes habet, quantò magis ita se habebit quoad res & bona filiorum? Vtique si filii sunt naturâ suâ serui parentum, & parentes sunt naturâ suâ ipsorum Domini, multò magis rerum

rum ad filios pertinentium, & filiis natu-
raliter subiectarum, etiam Domini esse
censendi erunt. Atque ita cùm pretiosis-
sima Virgo Maria, sit vera & naturalis
Dei Mater, verè naturaliterque censenda
est Domina, tam Filii sui Dei, quàm re-
rum omnium ipsius dominio subiecta-
rum.

Accedit, quòd cùm dominium Diui-
num in res omnes, sit attributum Dei, ipsi
Deo innatum atque connaturale; Deus
autem sese Genitrici suæ, cum totâ sub-
stantiæ, perfectionumque plenitudine
infudit, communicauit, & filiali iure sub-
iecit; quid tandem causæ est, cur illi ei-
dem, Dominii sui perfectionem, perinde
vt omnia alia bona sua non communica-
uerit, non infuderit, non contulerit, at-
que omnem sibi subiectam creaturam, vnà
secum ipsi non subiecerit? Certè, amplius
longè, imò supra omnem modum est, se-
metipsum Deum, naturalem omnium
Dominum, Virgini Matri subiecisse,
quàm res creatas eiusdem potestati atque
do-

ominio ſubdidiſſe. Subiecta igitur eſt
atri Dei omnis creatura, & in domini-
m illius redacta, & redacta quidem natu-
aliter, adeo, vt neſcio quid derogatum
ideatur Maternitati Diuinæ, ſi hoc do-
ninium in res omnes Dei Matri negatum
oret.

Iam verò cùm inter omnes res creatas,
ion poſtrema portio ſit humanum genus;
ius quoque (vt breuiter & diſertè lo-
quar) dominium neceſſe eſt ad Dei Ma-
rem, cum Diuinâ maternitate defluxiſ-
e. Quare Maria Vrigo totiûs humani
generis eſt naturalis Domina, totumque
humanum genus eſt illi tanquam naturali
Dei ſui auctoris Genitrici naturaliter
ſubiectum, & ſeruitii poſſeſſioniſque iu-
re ſubditum. Adeo, vt quiſquis Deum,
authorem, Dominumque ſuum (prout
par eſt) recognoſcit, idem etiam Dei Do-
mini ſui Matrem, tanquam ſuam legiti-
mam naturalemque Principem ac Domi-
nam, ſeruili ſubiectione ſuâ venerari, &
ſe ſubditum, ſeruum, Mancipiumque pro-
fiteri teneatur.

Age

Age igitur, ô homo, quisquis te De[i]
subditum agnoscis, agnosce te simul sub[i]
ditum Dei Matris: & siquidem honor[a]
re Deum tuum auctorem, (vti par est) de[
sideras; Matrem quoque ipsius, tanqua[m]
Auctoris tui Auctorem honorare, ne o[
mitte. Tribue hunc inter alios honor[
honorem Deo tuo, vt propter eum ho[
nores Matrem quoque Dei. Cui si tu pro[
pter Deum tuum, cuius illa Mater es[t,
subditum esse te amaueris; ne dubit[a
quòd & illa te, propter Deum filium s[u
um, defendere, protegere, curare, amar[e,
ditare, tanquam rem peculiumque s[u
um, nunquam omittet. Et quæ tua sub ta[n
tâ Dominâ securitas, felicitas, dignitas [

DISCVRSVS II.

MARIÆ SERVI SVMVS, QVI[A] *ipsi in seruos à Deo Filio donati sumus.*

NON est hæc vna tantùm ratio subi[
ciei[

Bibl. Jag.

endi noſmetipſos *Dei Matri*, at-
ue in ſeruos mancipiaque tradendi,
uòd illi naturali iure, prout dixi, ſubie-
i ſumus. Superſunt aliæ non paucæ,
uas æquè dignum eſt à nobis cognoſci,
t quibus nos, ad ſeruiendum *Deiparæ*,
anquam Dominæ noſtræ, induci com-
pellique conuenientiſſimum eſt.

Ac inter alias, eſt etiam illa, quòd ſi-
mus Deiparæ à Deo filio ſuo donati &
ſubditi. Ex eo enim tempore, quo *Dei*
Filius factus eſt homo, & factus eſt Filius
Virginis, inter alia ineffabilia diuinæ
ſuæ opulentiæ munera, hoc etiam pi-
gnus contulit, quòd illam Hæredem &
Dominam vniuerſorum conſtituit, non
tantùm hominum, ſed omnium penitus
Entium à ſe conditorum. Nam ſi Dei Fi-
liùs ſeipſum ab iure & poſſeſſione ma-
ternâ eximere noluit, ſed propter no-
ſtram ſalutem, & propter illius reueren-
tiam, ſeſe illi ſubdidit & donauit; quo-
modo non etiam omnes nos ſecum vnà

eidem ſubdidit & donauit? Donauit ſa-ne, & donationem iſtam tribuit, partim Diuinæ ſuæ Maieſtati atque liberalitati partim Matris ſuæ eminentiſſimæ digni-tati; partim noſtræ, qui tantâ Dominâ & Patronâ ſupra modum indigebamus, ne-ceſſitati. Si Apoſtolo argumentari ſic li-cuit: Si, inquit, Deus *proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit il-lum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Ad Roman. 8. v. 32. Vtique & hoc argumentum validum eſt: Si Dei Filius ſeipſum Virgini Matri pro nobis ſubiecit: quomodo non etiam ſecum omnes nos illi donauit?

O gaude, atque ſupra modum omnem exulta homo, de hac ſorte, de hac tuâ ſub Dominium Diuinæ Matris ſubiectione & non tantùm moleſtè ne fer te ſubie-ctum & donatum eſſe illi à Domino tuo ſed potiùs gratulare tibi hanc tam feli-cem ſortem, & pro tuâ parte ſi quid am-plius addere præuales, ius hoc Dei Ma-

tis in te, confirma, adauge, innoua; cer-
tis omnino, nullam libertatem huic Ma-
næ seruituti, nullam dignitatem huic
Mariani Mancipii conditioni, compara-
posse.

DISCVRSVS III.

MARIÆ SERVI SVMVS, QVIA *ab illâ redempti à seruitute sumus.*

QVid? quòd ipsa Virgo Dei Mater seruos nos suos atque Mancipia effecit, & non vno quidem modo. Primò certum est, nos fuisse naturâ filios iræ, filios peccati, seruos diaboli, captiuos mortis, tàm temporalis quàm æternæ; à quâ infelici conditione, nos nec liberari (stante Dei decreto) potuimus, nec sumus liberati, nisi per consensum, per illud superbenedictum Fiat, Dei nostri Matris. Itaq; consensus illius, à seruitute Diaboli liberauit nos; & quomodo non seruos ipsius constituit etiam nos?

S. Augustinus Serm. 17. in Natali Do-
mini, qui est Sermo 21. de Tempore, ex-
pendens colloquium Virginis Sanctissi-
mæ cum Gabriele, Magni illius Myster
Incarnationis Dominicæ paranympho
& deliberationem in assentiendo d
ctis Angelicis; Lucæ 1. v. 34. & s
quentibus, sic alloquitur Virgine
Deiparam: *Expandat nunc fides splen-
dentis vteri pulchra tentoria, obum-
bret virtus, spiritus sibilet naturali calor
depulso, tenuis Virginem aura refoueat, c
fluente refrigerio spiramentis cælestibu
ventiletur, aluus Virginalis sertis verecun-
diæ coronetur. Flammeus ibi rosæ fulgo
anhelet, albens lilium candicet, mollis vio
la rutilet, purpurei spargantur flores, &
vario nitore depictus Christi thalamus ex-
ornetur. Responde iam Virgo sacra. Vi-
tam quid tricas mundo? Assensum tuum
Angelus præstolatur, inde est quòd nunciu
iste moratur. Iam audisti, Spiritus Sanctu
super-*

peruenie in te, & virtus Altissimi obum-
abit tibi, vt prolem gignas, & virginita-
m non perdas. Ianua cæli quondam per
dam clausa iam sonuit, per ipsam nuncius
le processit. Deus in portâ est, Angelum
uem moraris expectat. O beata MARIA,
eculum omne captiuum, tuum deprecatur
ssensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem
acit, per te parentum suorum iniurias ab-
tergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est
misit, claustrum quod iniquitas nostra cælo
infixerat, reserauit. Est nobis aditus, si as-
sensus tuus fuerit commodatus. Et nobis
succurris, & tibi: quia nobis pœna succus-
sit, & tibi nuptias filio suo in tuo thalamo
pater præparabit. Deus in ipsis sponsalibus
gaudiis relaxat, quidquid eum offenderat
mundus. O & tu Angele, tanti Regis nun-
cie, & secreti diuini legate, qui ex palatio
imperatoriæ maiestatis indulgentiam red-
dis criminosis, vitam mortuis, & pacem sa-
cram attulisti captiuis, vrge Virginem, non
de Dei munere diffidentem, sed de mune-

ris magnitudine cogitantem. Faue pari-bus seculi, conscius secretorum cæli: læta-buntur socij tui, si negotium iuueris munc. Nos à vestro consortio impietatis mucro di-uisit, per vos de reditu nostro tractatur. In-spice squallentem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad Mariam; Vsque qu morâris, ô Virgo, nuncium festinantem. Intuere Deum in cæli me vestibulo susti-nentem, responde verbum, & suscipe fili-um. Da fidem, & senti virtutem. Pand sinus roseos virgo perpetua, fides tua mo aut aperit cælum, aut claudit. Hæc mor suo satis augustè Augustinus. Quo ipsum repetit Sermone 1. in festo Annun-ciationis Dominicæ, qui est 18. de San-ctis.

Et mellifluus Bernardus *Hom. 4. supe Missus est*, supplicabundus sic Virginem Sanctissimam deprecatur: *Audisti qui concipies, & paries filium, audisti quòd no per hominem, sed per spiritum sanctum: ex-pectat Angelus responsum, tempus est enim*

reuertatur ad Deum qui misit illum. xpectamus & nos ô Domina verbum mi- ;rationis, quos miserabiliter premit sen- entia damnationis. Et ecce offertur tibi retium salutis nostræ, statim liberabimur i consentis. In sempiterno Dei verbo facti umus omnes, & ecce morimur: in tuo bre- ui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te ô pia Virgo flebilis Adam cum miserâ sobole suâ exul de paradiso, hoc Abraham, hoc Dauid. Hoc cæteri flagitant sancti Patres, Patres scili- cet tui, qui & ipsi habitant in regione vm- bræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. Nec immeritò, quan- do ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnato- rum, salus denique vniuersorum filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo respon- sum festinanter. O Domina responde ver- bum, quod terra, quod inferi, quod expe- ctant & superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus, quantùm concupiuit decorem

suum

tuum, tantùm desiderat & responsionis assensum, in quâ nimirum proposuit saluare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo; cùm ipse tibi clamet è cælo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Hæc Bernardus.

Omnino si consensus noster in suggestionem diaboli, valuit nos facere seruos diaboli: quare consensus Deiparæ in voluntatem & Incarnationem filii Dei, & in liberationem nostri, non valuerit nos facere seruos Dei Matris? præsertim ille consensus, cùm sine hoc eius consensu, secundùm æternum Dei decretum, à captiuitate inferni non fuerimus liberandi.

Vnde exclamauit Augustinus Serm. 1. in festo Annunciat. Dominicæ supra citato: *O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas*

tas humani generis persoluat; quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit?

Iam verò non tantùm consensu voluntatis suæ in Conceptionem filii Dei, saluauit nos pro suâ quidem parte Deipara; verùm etiam pretium redemptionis nostræ, ipsa suo modo pro nobis impendit & persoluit. Partim, quando de viscerum suorum sanguine, corpulentam illam substantiam, atq; adeo humanam naturam & vitam, Filio Dei nostro Redemptori libens subministrauit: partim, quando sub tempus Passionis & mortis Vnigeniti sui atq; Patris æterni, pro nobis in cruce, non tantùm sanguinem, qui quodammodo suus it eius, hoc ipso quia fuit Filii eius; sed etiam ipsummet Vnigenitum dilectissimum Filium suum, pro nobis Patri æterno, voluntatis & oblationis suæ gladio immolauit.

Si enim, quia Dei Filius sese pro nobis obtulit vsq; ad mortem, Liberator noster est: & si *Pater* æternus, qui proprio filio

 non

non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, etiam Liberatoris nomen apud nos meritò obtinet: cur non etiam (modo quidem suo & proportionato) Deipara, quæ illum eundem Filium verè suum, pro nobis voluntate suâ Heroicâ, obtulit, Liberatrix nostra à seruitute peccati, & captiuitate diaboli censeatur?

Possumus adhæc dicere, Virginem Sanctissimam concurrisse ad opus redemptionis nostræ, & coöperatam fuisse nostræ saluti, vnde possit appellari Redemptrix nostra; quia cum Christo Filio patiente pro peccatis nostris, ipsa quoq; patiebatur. Ita ipsamet Deipara Virgo testatur, alloquens Sanctam Birgittam ex sanguine Regum Sueciæ oriundam, l. 1. Reuelationum c. 27. *De quot venis sanguis eius exiuit pretiosus, quasi tot lanceis cor meum perforatum est.* Et infra c. 35. *Propterea audacter dico, quia dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Sicut enim Adam & Eua, vendiderunt mundum pro*

vno

no pomo; sic Filius meus & ego, redemimus mundum quasi cum vno corde. Quod ipsum eleganter expressit Arnoldus Carnotensis Abbas Bonæuallis in Sermone de Laudibus Mariæ, qui habetur in secundâ parte Tomi 12. Magnæ Bibliothecæ Patrum, dum ait: *Fugientibus Apostolis, in faciem filij se opposuerat mater, & gladio doloris animæ eius infixo, vulnerabatur spiritu, & concrucifigebatur affectu: & quod in carne Christi agebant claui & lancea, hoc in eius mente compassio naturalis & affectionis maternæ angustia. Stabat ante crucem, non minor quàm Matrem Christi decebat. Fortasse autem quia in morte filij intelligebat redemptionem mundi, etiam suâ ipsa morte se aliquid æstimabat publico muneri addituram.* Et ad initium citati Sermonis idem Arnoldus sic ait: *Mouebat eum matris affectio, & omnino tunc erat vna Christi & Mariæ voluntas, vnumq; holocaustum ambo pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.*

Hinc meritò Sancta Mater Ecclesia, in Litaniis, appellat Virginem sacratissimam; *Speculum Iustitiæ.* Sicut enim in Speculo, omnia quæ illi opponuntur, repræsentantur: Sic in Virginali corde & animâ Deiparæ Virginis, tanquam in speculo mundissimo & sine omni maculâ, non solùm virtutes omnes, generali nomine Iustitiæ comprehensæ, in summo & perfectissimo gradu reluxerunt; sed etiam Iustitia Dei punitiua & vindicatiua. Siquidem æternus Pater, offensus naturæ humanæ, ob peccatum primorum nostrorum Parentum, cùm *egressus esset* quasi ad certamen, *in salutem populi sui, in salutem cum Christo suo* quasi præliaturus; *Habacuc* c.3. v.13. *& propter scelus populi sui percussisset eum;* Isaiæ 53. v.8. Atq; ita vnigenitus Dei Filius, à Patre suo æterno, iustissimè irato hominibus, *vulneratus esset propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra:* Ibid. v.5. tunc omnes illæ pœnæ, quę innocenti Chri-

Christo, à Patre irato infligebantur, Matrem afflictam & dolentem mirè cruciabant & torquebant; omnesque illi dolores, plagæ, vulnera, flagella, spinæ, quæ in carne patientis Filii recipiebantur, in compatientis Matris amaro corde altissimè imprimebantur. Optimè igitur Virgo hæc Sancta *Speculum Iustitiæ* vocata est. Vnde Ioannes Lanspergius Carthusianus Homil. 48. de Passione, Deiparam Virginem, *Cooperatricem Redemptionis nostræ* nuncupauit.

Ex hoc ergo beatam te dicent, ô MARIA, omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti: In te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis quicquid creauerat, recreauit, ait S. Bernardus Serm. 2. in die Pentecostes.

Potest vtiq; & debet censeri, (absque iniu-

iniuriâ seu Patris æterni, seu IEsv Christi filii Dei, in quorum honorem, honor iste Dei Matris redundat) at si censeri debet, necesse est protinus, vt nos Virginis Deiparæ seruos & Mancipia emptitia fateamur, agnoscamus, & tanquam talia geramus.

O sanè geramus; & quemadmodum Christo Domino gratias agentes dicimus: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo: & fecisti nos Deo nostro Regnum, &c* Apocalipsi 5. v. 9. 10. ita quoque modo suo dicamus Deiparæ: Redemisti nos Dei Mater in sanguine tuo quem in Filio tuo IESV Christo fudisti, & obtulisti pro nobis, & fecisti nos tam Deo nostro, quàm ipsi tibi Regnum & seruos, & Mancipia. Possîde nos, & habe nos seruos æternos, &c.

DISCVRSVS IV.

MARIÆ SERVI SVMVS, QVIA *infinita beneficia ab illâ accepimus.*

IVuat adhuc Iura Dominii Mariani, & nostræ apud illam & ad illam seruitutis vestigare; non enim vno iure serui illius sumus, & vtinam esse nos sciamus, velimus, conemur; vtinam non serui tantùm, aut Mancipia, sed etiam iumenta esse contendamus, vt illi verè dicere possimus: *Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum. Psal.72.v.23* Sumus itaque serui & Mancipia Matris Dei Mariæ, iure beneficiario.

Quia enim incredibilia, infinita, supra modum maxima reportauimus & reportamus in horas singulas atq; momenta, tam in corpore quàm in animâ, tam in vitâ quàm in morte beneficia, quorum pleraque totius mundi, totiusq; vitæ dispendio comparare meritò deberemus,

IE-

reportamus, inquam, beneficia à Gloriosissimâ Dei Matre: ideo nullo modo subterfugere ius seruitutis, conditionemq; Mancipii possumus; sed omnino nos eius esse vernaculos atque seruos fateri millie meritò compellimur.

Præsertim, cùm nullâ prorsus aliâ ratione, dignum rependere obsequium tantæ nostræ Benefactrici, munificentissimæ Patronæ, possumus; quàm vt nos illi in Mancipia tradamus.

Si enim Tobias iunior, Angelo Raphàéli pro pauculis sibi, Patri suo, vxori suæ præstitis bonis, in seruum se, aliter compensare nesciens, dabat; *Tobiæ c.9.v.2* quid nos facere par est, post tot accepta à Sanctissimâ Dei Genitrice beneficia? in iis recensendis, non tantùm omnia vitæ nostræ, sed etiam æternitatis ipsius momenta, nunquam sint suffectura.

Quod enim quæso beneficiorum genus desideratur in nos à Dei Matre? quid habemus, quid sumus, quid possumus quod

quod non post Deum, vni Matri Dei acceptum, conseruatumque tribuere, si iusti sumus & grati, cogimur? Sumus, viuimus, sani existimus, integri manemus! Deiparæ donum est. Sumus Christiani, & à cultu veri Dei vero non alieni, in tali statu, in hac ætate, loco isto, tempore tali, cum his? Deiparæ donum est. Sumus in gratiâ Dei? eiusdem donum est. Viuimus in peccato, & adhuc viuimus? donum etiam illius est, quòd scilicet toleremur, & pœna arceatur à nobis, & detur tempus pœnitendi.

Dies deficiet, si omnia quæ publicè quæ priuatim beneficia accipit quisque à Virgine, recensebo. Breuissimè dico: quicquid accidit nobis boni, quicquid non accidit mali, Deiparæ beneficium est. Nos ipsi, quod & quidquid sumus, eius munere sumus. Et nondumne serui eius Mancipiaque sumus? insanit qui nescit, insanit qui non gaudet, insanit qui non curat esse Mancipium, esse iumentum

tum Mariæ. Curemus igitur omnes, & ab hac horâ nos illius esse seruulos agnoscamus, gratulemur, faciamus.

HISTORIA DE MARINO, Fratre B. Petri Damiani, Mancipato seruo Deiparæ VIRGINIS.

B. PETRVS DAMIANI EX ORDIne S. Benedicti, S. R. E. Cardinalis, Episcopus Ostiensis, (qui teste Card. Bellarmin. lib. De Scriptor. Ecclesiasticis, obiit Anno Domini 1072.) Tom. 3. Opusculo 33. cap. 4. aliàs lib. 2. Epistolar. Epistola 14.

QVOCIRCA quòd fratris mei Damiani, tunc Archipresbyteri, deinde Monachi, relatione didici, nisi me fallat obliuiosa memoria, fideliter narro. Alter enim frater meus, Marinus nomine, laicus quidem habitu, sed timoratus Spiritu, ingrauescente pulmonis ac pectoris valetudine, tandem ad extrema peruenit. Interea cuiusdam diei

diei iam illucescente diluculo, repente cæpit quasi cuilibet aduentanti gratulabundus agglifcere, iucundanter hilarescere, & festiuâ serenitate vultûs alacriter assultare: mox & in verba prorumpens, cum magno animaduersionis impulsu circumsedentes alloquitur: Leuate, inquit, leuate, ac Dominæ meæ reuerenter assurgite; deinde aliorsum mutatæ vocis eloquium dirigens, aiebat: Et quid est Domina mea, Regina cæli, & terræ, quia visitare dignata es pauperculum seruum tuum? Benedic me, Domina mea, & ne patiaris in tenebras ire, cui lucem tantæ præsentiæ contulisti. Cùm igitur huiusmodi sermones implesset, ecce Damianus, qui scilicet illi, sicut & mihi erat germanitate coniunctus, persolutis Deo nocturnis officiis, ab Ecclesiâ redit. Quid circa fratrem languidum ageretur, inquirit. Ille verò certum se quidem de vicinâ morte testatur, sed aduersus assidentes probrosâ redargutione con-

conqueritur. Heu, heu, frater, inquit, quàm ignaros, quàm imperitos, atque irreuerentes habemus, & ſine diſciplinâ domeſticos? & tu vir ſtrenue Bonizo (erat enim illic inter eos diues quidam huius vocabuli, ille negotiator) quomodo ſedere potuiſti ad *R*eginæ cæleſtis aduentum? Venit *R*egina mundi; & vos aſſurgere neglexiſtis? Venit Mater Imperatoris æterni; & vos eius præſentiam ignobilem deputaſtis? Ad quod Bonizo: Deliras, inquit, adhuc, & ægritudine dementatus, hæc vana profundis; aut verum eſt forte, quod loqueris? Nobis certè vana hæc videntur, & friuola. Ad hoc ille: Num ignoratis, ait, quia languor iſte, quem patior, nunquam alienare mentes ægrotantium conſueuit? Firmiter igitur, & abſque vllâ prorſus ambiguitate cognoſcite, quoniam Angelicis comitata veſtigiis Beata *R*edemptoris noſtri me Mater inuiſit, hilaritatem mihi ſereni vultûs oſtendit; benedixit me,

&

& protinus abiit. Cùmque paulo post ille defunctus esset, senex quidam Presbyter, Seuerus nomine, qui nimirum spiritualis eius Pater extiterat, retulit: quoniam longè ante dum vegetus adhuc, & sanitate floreret incolumis, depositis nudatus exuuiis, collo corrigiam, quâ cingebatur, innexuit: altari se Beatæ Dei Genitricis, velut seruile Mancipium, tradidit: mox se quasi seruum malum coram Dominâ suâ fecit verberibus affici, dicens: Domina mea gloriosa, Virginalis munditiæ speculum, & omnium norma virtutum, quàm ego te miser, & infelix offendi per obscœnam carnis meæ putredinem? & eam, cuius tu Mater & auctor es, violaui mei corporis castitatem? nunc itaque, quod solum remedii superest, me tibi famulum trado, tuæ ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem; nec tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata Virginitas pe-

perit vitæ pietatis Auctorem. Per istud ergo munusculum seruitutis meæ, tibi nunc offero censum, & amodo, ac deinceps quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. Quandam ergo pecuniæ summam in altaris crepidine posuit, & sic de misericordia quam quæsierat confisus, abscessit. Non igitur fortassis hanc, sed huiusmodi frater meus de fratre narrauit historiam, cuius etsi præ obliuione verba non teneo; saltem in quantum mihi possibile est, à relatis quadam similitudine non recedo. Confessionis igitur iste versiculus ad relata vel referenda mihi cuncta proficiat: meque in quibus ignoranter oberro, coram supernis obtutibus excusabilem reddat.

Hæc ad verbum B. Damianus.

[H]ISTORIA DE WALTERO [d]e Birbach, viro potenti ac nobili, Ducis Louanii consanguineo, in sæculari militiâ celebri, sed Mancipatu Mariano celebriori.

[C]ÆSARIVS ORDINIS CISTERciensis, (qui vixit ad Annum Domini 1222. tempore Honorij Papæ III.) lib. 7. Histor. memorabil. c. 39.

WALTERVS, inquit Cæsarius, *SanctamDei genitricem ab ipsâ pu[e]ritiâ cœpit inuocare, & ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, eleemosynis, & missarum celebrationibus honorare; licet enim corpore deditus esset torneamentis, corde tamen totus erat in obsequio B. Virginis.* Deinde cùm nonnulla Deiparæ in eum beneficia narrasset Cæsarius, subiicit: *Considerans, inquit, Walterus adhuc in sæculo positus, tanta circa se B. Dei Genitricis beneficia, in tantùm in illius amore*

more accensus est, vt in quadam pauperi Ecclesiâ in eius honorem dedicatâ, conscii Sacerdote, fune collo suo iniecto, Seruum glebæ se illi super Altare offerret, soluen singulis annis censum de capite suo, qualem serui originarij soluere consueuerunt. E quia propter honorem Reginæ cælestis s tam valdè humiliauit, ipsa suum dilectum valde glorificauit. Hæc Cæsarius. Qu porrò beneuolentiæ signa Deipara hui Waltero antea ostenderit, colligere lice ex quadam re plane admirabili, quam Cæsarius eodem loco recenset: *Cum,* in quit, *quodam tempore inter multos Wa terus stans, Missam audiret, Sacerdos vt i canone calicem leuauit, crucem aurea sub eius pede conspexit, cui annexa fu cartula, hæc continens verba: Cruce hanc defer ex parte meâ, (* MARIÆ *scili cet Matris Christi) amico meo Walter militi prope Birbach. Quam cùm Sacerd legisset, post completionem Missæ, pulpitum ascendit, & clamauit: Est ne aliquis hi miles*

nles, qui vocetur Walterus de Birbach? Respondentibus quibusdam: Ecce iste est. Sacerdos eum seorsum duxit, Crucem porrexit, & vbi illam inuenerit, vel quis miserit, intimauit. Quam lætus suscipiens, in cœnobio Hemmenrode postea conuersus, eam Abbati resignauit. Et infra subdit; *Cuius Crucis aurum tanti est fulgoris, vt omne aurum in eius pallescat comparatione.* Hæc Cæsarius. Hic porrò Walterus, non solùm Cisterciensem Ordinem, in Monasterio quod Hemmenrode dicitur, ingressus est, vbi *Cæsarius* eiusdem cænobii monachus, qui hæc literis mandauit, eum familiariter cognouit; sed etiam ibi vitam duxit, sanctitate & erga Virginem pietate conspicuam. Tandem Dei genitrice eum vocante, transiuit ad patriam, miraculorum signis, quæ loco citato recensentur, post obitum clarus.

Ex hac duplici historiâ, constat primò; Modum tradendi se in Manci-

pium Deiparæ Virgini, benè olim nempe ante annos quingentos quinquaginta nouem, in Ecclesiâ Catholicâ, à Christi fidelibus fuisse vsurpatum idq; à viris sanctitate & pietate illustribus, ex sanctissimo Ordine, Magni illius omnium cænobitarum in Occidente Patriarchæ, Sancti Benedicti; & ex deuotissimâ Religione Cistercienſium ante annos quadringentos quinque. Quem sacrum Mariæ mancipatum, vt pote laudabilem, celeberrimi & antiqui Ecclesiæ Romanæ Scriptores, Petrus Damiani, & Cæsarius, suis scriptis comprobârunt. Secundò ex supra positis narrationibus patet; vsum huius mancipationis *Marianæ*, valde placere & cordi esse Deiparæ Virgini, quod ex fauoribus & gratiis, Marino & Waltero abundè & liberaliter ab illâ præstitis, clarum est. Tertiò denique ex prædictis historiis colligitur, quadruplex munus & officium mancipii Mariani.

Primum

Primum est, vt debitam reuerentiam & honorem Dei Matri exhibeat, illamque semper ac vbique laudet & veneretur. Alterum est, vt eius imperio & iussis in omnibus promptissimè & perfectissimè obediat. Tertiùm, vt certis temporibus pensionem operum & laborum suorum, vice tributi, Dominæ suæ offerat. Quartùm denique, vt symbolum seu seruile signum mancipatûs, v.g. vinculum aliquod, pedicas vel manicas, aut catenulam secum perpetuò gestet. Hæc enim omnia, quemlibet seruum alicui mancipatum decent. Sed ex his nonnulla in sequentibus fusiùs explicanda sunt.

DE CVLTV ET VENERATIONE, quam seruus mancipatus Deiparæ Dominæ suæ præstare tenetur.

QVIcunque sese fidelem seruum & mancipium Cælorum Reginæ (vti omnes debent) pro-

fitetur, illam, vt veram, legitimam, & naturalem Dominam suam, summo studio venerari & reuereri debet idque non simplici aliquâ veneratione; sed cultu & adoratione hyperduliæ, quæ est quid medium, inter latriam & duliam. Siquidem triplicem sacrum cultum & venerationem Catholici Doctores communiter statuunt: Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ. In latriâ, cultum & honorem soli Deo præstandum, siue, seruitutem soli Deo debitam, constituunt. Duliam, excellentibus creaturis, cultu & honore quodam, latriæ impari, dignis, assignant. Hyperduliam, vel vt alii vocant, Maiorem Duliam, singularem quendam cultum intelligunt, qui creaturis ad Deum propiùs accedentibus, vt Christo secundùm humanitatem, & Deiparæ Virgini, congruat. Iam verò, quis post Christum Dominum propiùs accedit ad Deum Matre Dei? S. Ioannes Dama-

ma-

nascenus orat. 1. de Natiuit. B. Mariæ Virginis, sic alloquitur Deiparam: *Tota pulchra, tota proxima Deo. Ipsa enim supergressa Cherubinos, & supra Seraphinos euecta, Deo es propinqua*; nempe Maternitate. Quæ prærogatiua maternitatis facit, vt *maxima reuerentia debeatur Beatæ Virgini, ex speciali affinitate, quam habet ad Deum*, vt egregiè docet S. Thomas 2 2. q. 103. artic. 4. ad 2. & 3. p. q. 25. art. 5. in corp. vbi ait: *Cùm igitur Beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ: sed solùm veneratio duliæ, eminentiùs tamen quàm cæteris creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei. Et ideò dicitur, quòd debetur ei, non qualiscunque dulia, sed hyperdulia.* Hinc etiam Beati, singulari honore & cultu Beatissimam Virginem colunt in Patriâ, ob eandem maternitatem Dei, vt optimè Dionysius Carthusianus, de quatuor hominis nouissimis art. 61. circa

 finem,

finem, vbi tractat de Sanctorum in cæ-
lo gaudio, ex præsentiâ & aspectu glo-
riosissimæ Virginis Matris filii Dei, ob-
seruauit, inquiens: *Gaudent præserti*
in eâ, & de eâ, & de eius excellentiâ
honore: eò quòd ipsa sit Mater veri De
Comparentalis Deo Patri
eundem filium habens cum illo: quod
dignitas quodammodo infinita, propt
quam tota Curiæ cœlestis militia, sing
lari præcipuoq; honore eam deuotissin
veneratur, tantoq; abundantiùs congr
tulatur excellentiæ eius, quantò feruei
tiùs diligit eam: & quanto quis Beat
rum misericordiam maiorem ab eâ,
per eam, à Deo est consecutus, tantò pr
cordialiùs diligit eam & honorat, ac ei
omnibus istis congaudet. Hæc Dionysiu

Maximam sane dignitatem tra-
hit secum maternitas Dei in Virg-
ne Matre, per quam è communi alia-
rum creaturarum ordine exempta, a
altissimum præeminentiæ & excellen-

tiæ gradum, Mater Dei euecta est; & ita quidem, vt Deus, digniorem, nobilioremque creaturam Matre Vnigeniti sui de thesauris omnipotentiæ suæ producere non possit. Vnde Angelicus Doctor 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. ad propositam quæstionem: Vtrum Deus possit meliora facere ea quæ facit? verissimè respondet: *Dicendum, quòd humanitas Christi ex hoc quod est vnita Deo: & Beatitudo creata ex hoc quòd est fruitio Dei: & Beata Virgo ex hoc quòd est Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis: sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Eleganter quoq; Seraphicus Doctor, tomo 6. Operum, in Speculo B. Mariæ Virginis, lect. 10. aliàs c. 8. ait: *Mater Domini, Mater & Virgo, Mater est dignissima. Ipsa est Mater, quæ tali Filio est decentissima. Ipsa Mater est, cui talis Filius*

decentissimus fuit. Ipsa est, quâ maio-
rem Deus facere non posset. Maiorem
mundum posset facere Deus, maius cæ-
lum posset facere Deus: maiorem ma-
trem quàm Matrem Dei, non posset fa-
cere Deus. Hæc S. Bonauentura. *Ni-*
hil in mundo, ait S. Proclus Archiep-
scop. Constantinop. apud S. Ioannem
Damascen. epist. de Trisagio, *cum Dei-*
genitrice Mariâ comparandum est. Res
omnes conditas, ô homo, cogitatione
peragra, ac perspice, an quicquam sit
quod Sanctam Dei genitricem æquet
aut superet. Terram vndiq; lustra, ma-
re circumspice, âërem inuestiga, homi-
nes animo perscrutare, virtutes omnes
ab oculorum sensu remotas cogitatione
complectere, ac vide, an in omnibus re-
bus conditis sit vllum eiusmodi miracu-
lum, vt MARIA.

Præclarè satis B. Petrus Damia-
ni tom. 2. serm. 44. qui est 1. in Nati-
uit. Beatissimæ Virginis Mariæ: *Quid*
gran-

grandius Virgine Mariâ, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris concludit arcanum? Attende Seraphin, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem: & videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumq́; opificem opus istud supergredi. Mox enumeratis variis modis quibus Deus rebus creatis inest, subdit: *Quarto modo inest Deus vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem est, quod illa. Hîc taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis, & dignationis immensitatem.* Dominus tecum, *inquit Archangelus. Habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illâ, cum quâ vnius naturæ habet identitatem.* Hucvsque satis subtiliter B. Petrus Damiani. Identitatem hanc quandam Mariæ Virginis cum Deo, clariùs expressit S. Augustinus tom. 9. tract.

tract.8.lib.de Assumpt.B.Mariæ Virginis,c.5.inquiens: *Caro Iesu caro est Mariæ, & multò specialiùs quàm Ioseph, Iudæ cæterorumq; fratrum eius, quibus dicebat:* Frater enim,& caro nostra est Genes. 37. v. 27. *Caro enim Christi quamuis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cælos ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit & manet natura, quæ suscepta est de Mariâ.* Et S. Ioannes Damascen. orat. 1. de Natiuit. B. Mariæ Virginis ita affatur Deiparam: *O filia semper Virgo, dignior omni creaturâ. Ex te enim solâ summus ille opifex partem assumpsit, nostræ massæ primitias. Caro ipsius ex carne tuâ, & sanguis ex sanguinibus tuis, & lac mamillarum tuarum suxit Deus, ac labiis tuis Dei labia basiasti. O incomprehensibilia & ineffabilia miracula.* Quapropter doctè satis & piè, Franciscus Suarez tom. 2. in 3. p. S. Thomæ disp. 1. sect. 2. sta-

tim

tim post principium, docet: *Aliquam substantiam virginei corporis, ex qua fuit Christi corpus, & in principio constitutum, & postea auctum, quam diu sanguine vel lacte Matris nutritum fuit, vnitam esse hypostaticè Verbo Dei.* Ex quo *posse facile credi,* subdit idem Doctor, *illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine: nunquam fuisse omnino dimissam, aut continuâ caloris naturalis actione resolutam, sed eandem omnino fuisse semper conseruatam Verbo Dei vnitam.* Quod partim ex physicâ ratione: partim ex speciali prouidentiâ, & voluntate ipsius Christi, verisimile esse, concludit Suarez, & cum illo Petrus Morales in cap. 1. Matthæi lib. 1. tract. 2. n. 5. Et in hoc sensu fortasse S. Gregorius Nazianzenus, indigitauit Virginem Sanctissimam: *Vt Deum habitam.* Ita enim in Tragæd. Christus Patiens, alloquitur Deiparam:

Inclytissima, venustissima, puella Virgo,
Infante Deo in vtero ditata :
Domina, omnium dominatrix, mater Domini,
Hera, filia, dominantis Mater Verbi.
O Imperatrix omnium Augusta, Virgo beata ;
Quæ multùm es præstantior omni sexu.
Honoranda, pudica, felicissima Virgo,
Tu quidem Beatorum sedem incolis in cœlis,
Omnem fecem terrenam exuta,
Immortalitatisq; pallio ornata,
Semperq; expers senij, vt Deus habita.

Vide Deiparæ Virginis excellentiam, & supereminentialem dignitatem, quam illi maternitas Dei attulit per quam, strictissimam affinitatem & consanguinitatem quandam cum Sanctissimâ Trinitate contraxit ; tum per aliquam particulam substantiæ sui virginei corporis, in Christo Filio suo hypostaticè vnitam Verbo ; tum per re-

relationem matris ad Filium Dei Patris, vnum eundemque naturalem & secum communem. Cùm enim Verbi Diuini Incarnationi in suo sacratissimo vtero perficiendæ materiam subministrasset; & effectiuè instrumentaliter vnionem hypostaticam humanitatis ad Verbum attigisset; quod pium & probabile esse, docet Franciscus Suarez tom. 1. in 3. p. S. Thomæ disp. 10. sect. 1. relationi, quam Filius Dei ad Patrem habet, nouum Filiationis adiecit respectum, & in suo ordine causa fuit, vt æternæ Paternitati Dei Patris, noua eaque naturalis ad Filium Paternitatis relatio extrinsecùs adueniret; quia, vt verior Theologorum sententia fert, quam fusè probat Gabriel Vasquez tomo 1. in 3. p. S. Thomæ, disput. 89. Christus Dominus, non solùm quatenus Deus de Deo est; sed etiam in quantum homo, Filius naturalis Dei existit. Affinem ergo dixeris

certo quodam modo felicissimam hanc Matrem æterno Patri, cuius paternitati suam maternitatem sociauit. Affinem dixeris & Spiritui Sancto, cuius virtute obumbrata, in vtero suo virginali, concepit Virgo, & Virgo peperit *primogenitum omnis creaturæ* (ad Coloss. 1. v. 15.) Christum Iesum. Quare eleganter satis Hesychius siue Isychius Episcopus Hierosolymitanus homil. 2. de Sanctâ Mariâ Deiparâ, quæ habetur tom. 7. Magnæ Bibliothecæ Patrum, tale Virgini sanctissimæ dat elogium: *Deipara Virgo Arca arcâ Noë latior, longior, illustrior. Illa erat animalium arca, hæc autem arca vitæ: illa corruptibilium animalium, ista verò vitæ incorruptibilis: illa ipsum Noë, hæc verò ipsius Noë factorem portauit: illa duas & tres contignationes & mansiones habebat, hæc autem* vniuersum Trinitatis complementum: *quandoquidem & Spiritus*

inctus adueniebat atq; hospitabatur, & ater obumbrabat, & Filius vtero gesta- us inhabitabat. Vides quanta & qualis est)eiparæ Virginis dignitas, vnigenitus e- im Dei Filius mundi conditor, velut in- ans gestabatur ab eâ, & Adamum refor- nabat, Euamq; sanctificabat, excludebat lraconem, & Paradisum aperiebat, sigil- um vteri muniens. &c. Hinc exclamat S. Augustinus tom. 10 Operum, serm. 35. le Sanctis ante medium, qui est sermo 2. in festo Assumptionis Mariæ, estque in Appendice sermo 83. *O felix Maria, & omni laude dignissima! O Virgo Dei genitrix gloriosa! O sublimis puerpera, cuius visceribus author cœli terræq; committitur!* Et paulò inferius: *Sed quid dicam pauper ingenio, cùm de te quicquid dixero minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si Cœlum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, præcedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris. Quid*

ergo de te dignè dicam, quid referam, cùm non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Cur autem Sanctus Doctor Virginem sanctissimam, *Formam Dei* appellauerit; duplicem causam adfert Ferdinandus Quirinus de Salazar, in Defensione pro immaculatâ Deiparæ Virginis Conceptione c. 3 n. 15. & 16. Prima est, ratione humanitatis assumptæ à Verbo: quia filii vt plurimùm, iuxta Medicos & Iuristas, matrizant: id est, matres suas, moribus & ingenio referunt. Sic Deus incarnatus, tot tantisque virtutibus, donis, ac gratiis, Matrem suam sanctissimam insigniuit & perornauit, vt natus ex illâ, ingenio ac moribus illam in seipso exprimere voluerit, formam & ideam vitæ suæ, morumque suorum exemplar ad imitandum illam sibi constituens. Altera est, ratione diuinitatis: quia quicunque Dei magnitudinem, ex his quæ in cunctis simul creaturis sui ipsi-

us Deus vestigia impressit, aucupari voluerit, illius vtique ignarus ac nescius prorsus manebit, donec Deum in Mariâ, ac per Mariam quærat; in hac enim quantus quantus est Deus, tantus inuenitur, & tota quodammodo magnitudo illius, veluti in ideâ & imagine sui expressa resplendet, iuxta illud aureum B. Petri Chrysologi serm. 140. de Annunciat. B. Virginis pronuntiatum: *Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.*

Et reuera *Forma Dei* est Maria, in quam munificentissima & liberalissima Dei manus, omnium, quas per creaturas abunde satis sparsit ac diuisit, perfectionum, pulchritudinum, & venustatum florem ipsum ac medullam in gradu eminentissimo congessit, & velut in centro, simul collectam & vnitam in Virgine collocauit, vt nihil sit per-

perfectionis, pulchritudinis & venu-
ſtatis in vllâ creaturâ, quod non in
Virgine Matre perfectiùs, pulchriùs &
venuſtiùs eluceat. Quòd ſi vera eſt ſen-
tentia Subtilis Doctoris Scoti, in 3. Sen-
tentiar. diſt. 7. q. 3. & aliorum, quam
vt veram ſequitur Franciſcus Suarez
tom, 1. in 3. p. S. Thomæ, diſput. 5. ſect.
5. etiam peccato Adami non exiſtente
incarnandum fuiſſe Deum, ſequitur; Be-
atiſſimam Virginem, poſt Chriſtum fi-
lium ſuum, primum & principale in-
ter omnes creaturas obiectum intelle-
ctûs diuini extitiſſe; ac proinde, in
ordine ad talem Filium & talem Ma-
trem, omnia à Deo creata; Virginemq;
ſacratiſſimam cum Filio, prototy-
pon & ideam omnis perfectionis, pul-
chritudinis, & venuſtatis omnium cre-
aturarum extitiſſe, à quâ velut ex fonte
ad alias res omnes à Deo conditas, o-
mnis perfectio, pulchritudo, & venu-
ſtas, vt ad riuulos deriuata ſit. Et neget
quis,

quis, *formam Dei* esse Mariam? in quâ pulchritudo creatoris tam clarè & pulchrè relucet? Neget quis, *formam Dei* esse Mariam? cuius formam & ideam, inter omnes formas & ideas seu similitudines rerum omnium creatarum, quæ fuerant ab æterno in intellectu diuino, Deus post Christi humanitatem, primò & principaliter adamauit, & cum summâ voluptate contemplando illam, eâ oblectabatur. Quod ipsamet Virgo Deipara Prouerbior: c. 8. v. 30. & 31. (hæc enim verba Ecclesia Catholica applicat Virgini Sanctissimæ) de se fatetur: *Cum eo* (nimirum intellectu diuino, fœcundato omnium creaturarum formis & ideis) *eram cuncta componens:* (quia ad meæ formæ pulchritudinem, velut ad quoddam archetypon respiciens Creator, rebus aliis pulchritudinem dispertiebat, & formam meam communicabat) *& delectabar per singulos dies, ludens coram*

eo omni tempore; ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, eße cum filiis hominum. Et neget quis, *formam Dei* esse Mariam? quæ formas omnium rerum creatarum, peccato primorum Parentum incompositas & inordinata composuit & reformauit. Eleganter S. Antoninus Archiepiscopus Florentinu 4. p. Summæ Theologicę tit. 15. c. 14. §. 1. *Sicut Beata Maria Mater est Christi, ita & innouationis & creaturarum innouatarum mater meritò dici potest. Prioritate etiam dicitur mater, prioritate scilicet prædestinationis. Ipsa enim ante sæcula prædestinata est, vt eßet principium ex quo recreandum fuit omne creatum, & sic dicitur de eâ* Prouerb: 8. v. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, *id est, in principio operum suorum, vt sim prima omnium suarum creaturarum, quæ puræ creaturæ sunt. Et* v. 30. cum eo eram cuncta componens, *scilicet recreando quæ per culpam quasi*

destructa

destructa erant. Audi B. Petrum Damiani tom. 2. Operum, serm: 11. de Annunciat: B. Virginis Mariæ: *Euocatur statim cœlestis ille conuentus, & iuxta Prophetam,* (Isaiæ 16. v. 3.) *init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renouatione, ac, illis stupentibus, & mirantibus præ gaudio, de modo redemptionis. Et statim de thesauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipsam, & in ipsâ, & de ipsâ, & cum ipsâ totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine illo nihil factum, ita sine illâ nihil refectum sit. Traditur epistola Gabrieli, in quâ Salutatio Virginis, incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.* Neget quis, *formamDei* esse Mariam? quæ hominem ad imaginem Dei creatum, *Genes:* 1. *v.* 27. peccato inobedi-

dientiæ in Paradiso deformatum, pri-
stino nitori & splendori restituit? Meri-
tò *Forma Dei* est Maria, in quâ ve-
lut in speculo tersissimo & sine omni
næuo & labe, perfectiones & attribu-
ta diuina, mirè repræsentantur. Iustu
est DEVS: iusta est & Maria. Miseri-
cors est Deus: misericors est & Maria.
Sapiens est Deus; sapiens est & Mari-
Sanctus est Deus: sancta est & Maria,
sancta corpore & spiritu, Sanctuar-
um sanctitatis. *O Sancta*, inuocat De-
param B. Andreas Cretensis Episcopu
in Encomio de Dormitione Virgini,
& sanctis sanctior, & omnis sanctitati
sanctissime thesaure. Celeberrimu
est illud B. Petri Chrysologi Archie-
piscopi Rauennatis Beatissimæ Virgi-
nis præconium, serm. 146. de gene-
ratione Christi: *Nomen hoc, MARIA*
prophetiæ germanum est, (Exodi 15.) *hoc*
renascentibus salutare, hoc virginitati
insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indici-
um

um castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc Collegium sanctitatis. Nobile collegium! in quo sanctitas ipsa docetur. Esto studiosus huius Collegii alumnus, quicunque aspiras ad sanctitatem. Et sane *Collegium sanctitatis* est Maria: in quam omnes gratias, quæ sunt diuisæ & dispertitæ in reliquos Sanctos, abundantissimè diuina bonitas corriuatas collegit. Hinc ab Archangelo Gabriele appellatur: *Gratia plena,* Lucæ 1. v. 28. *Gratiarum pelagus,* à S. Ioan. Damasceno orat: 1. de Natiuitate B. Mariæ Virginis, *Gratiæ abyssus,* ab eodem orat: 2. de Assumptione SS. Dei Genitricis.

Vnde venustè S. Bonauentura tom. 6. Operum, in Speculo B. Mariæ Virginis lect. 3. ait: *Maria dicitur mare, propter affluentiam, & copiam gratiarum. Vnde scriptum est in Ecclesiaste:* Ecclesiast. 1. V. 7. Omnia flumina intrant in mare. *Flumina sunt charisma-*

ta, Spiritus Sancti, &c. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Confessorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Virginum intrat in Mariam. Omnia flumina intrant in mare, id est, omnes gratiæ intrant in Mariam. Vnde ipsa optimè dicere potest illud Ecclesiastici (cap. 24. ℣. 25.) In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.

Franciscus Suarez tom. 2. in 3. p. S. Thomæ ad q. 27. disp. 4. sect. 1.
6 Quartò addo, asserit: *Pium & verisimile esse credere, gratiam virginis in primâ sanctificatione,* (id est Conceptione) *intensiorem fuisse, quàm supremam*

grati-

gratiam, in quâ consumantur Angeli, & homines. Solet ad hanc veritatem accommodari illud Psal. 86. v. 1. Fundamenta eius in montibus sanctis : *quia fundamenta sanctitatis Virginis posita fuerunt, vbi alij Sancti consumantur.* Et ad quæst. 37. disp. 18. sect. 4. ait : *Dico ergo primò, Beatam Virginem in fine vitæ peruenisse ad summam, & (vt ita dicam) penè immensam gratiæ perfectionem, & intensionem.* Et infra, § Dico secundò, concludit : *Probabiliter credi potest, B. Virginem consequutam esse plures gradus gratiæ, & charitatis, quàm sint in omnibus Sanctis hominibus, & Angelis etiam collectiuè sumptis. Itaq. si mente concipiamus, ex multitudine gratiarum Sanctorum omnium, vnam intensissimam gratiam consurgere (quod solùm explicandæ rei gratiâ dictum sit) non adæquaret intensionem gratiæ Virginis.* Huc vsque celeberrimus nostri æui Theologus. Quod suum dogma, efficacissimis

& validiſſimis rationibus, more inſtitutoq; ſuo, probat. Quare conuenientiſſimè *Cæleſte Prodigium* & *ſacratiſſimum Spectaculum*, à Diuiniſſimo illo Epiſcopo Antiocheno, glorioſiſſimo Chriſti Martyre Ignatio, epiſtolâ 1. ad S. Ioannem, vocata eſt Virgo Beatiſſima. Audi S. Ioannem Chryſoſtomum Serm. in Natiuit. B. Virginis, qui habetur apud Metaphraſtem: *Magnum reuera miraculum, fratres dilectiſſimi, fuit beata ſemper Virgo Maria. Quid namq; illâ maius aut illuſtrius vllo vnquam tempore inuentum eſt, ſeu aliquando inueniri poterit? Hæc ſola Cælum ac terram amplitudine ſuperauit. Quidnam illâ ſanctius? Non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non deniq; aliud quidpiam inter creatas res viſibiles aut inuiſibiles, maius aut excel-*

ntius inueniri potest. Pulchrè S. Bernardus serm. 4. super Salue Regina: *Tu Maria genitrix Dei, sola totam Spiritûs Sancti gratiam possedisti, quam alij habuêre per partes.* Quæ omnia clarè indicant, gratiæ diuinæ in Virgine quandam immensitatem. Et quid mirum, Virginem sacratissimam, tantâ gratiâ cælesti superabundatissimè repletam, quæ ipsum datorem gratiæ Christum Iesum, in quo *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter* (ad Coloss. 2. v. 9.) suis castissimis visceribus comprehendit? Quid mirum, si in tantâ luce gratiæ, ne minima quidem vmbra originalis maculæ vnquam comparuit? Quomodo etenim Matrem gratiæ, peccatum attingeret? quomodo *Hortum conclusum* (Canticor. 4. v. 12.) pacifici Salomonis Christi IEsu, hostis ipsius capitalissimus, callidus ille coluber, ingredi attentasset? quomodo

manu Omnipotentis Dei *Fontem signatum*, (ibidem) inimica Deo manus violare auſa fuiſſet? quomodo templum Domini, Sacrarium Spiritûs Sancti, omnis ſanctitatis ſanctiſſimum theſaurum, antiquus ille fur & latro expilare præſumpſiſſet? Semper immaculata hæc Virgo Deo fuit grata, nec vllum vel minimum inſtans ſeu momentum temporis, vidit eam inimicam Deo. Semper hic *Paradiſus beatitudinis*, plane *Hortus deliciarum Dei*, (ſic Guarricus Abbas Igniacenſis appellat Beatam Virginem Serm. 2. in Annunciat. Dominicâ) cæleſti Fauonio diuini fauoris afflatus, illibato primigeniæ iuſtitiæ flore iucundiſſimè vernabat. Procul ab hoc trux Boreas, procul impacatus Aquilo patriæ culpæ aberat, quem diuinus Auſter Spiritûs Sancti ſemper leniſſimè perflabat. Non turbauit vnquam originarii peccati rigida hyems

emperatissimam huius diuini horti re-
ionem; etenim perpetuum ver cælestis
ratię in *Horto deliciarum Dei*
;gnat, in quo Deus ipse deliciatur. Non
ifecit virulentum pus primigenii pec-
ıti Matrem omnis puritatis; nec vnquã
rigida patriti criminis pruina, delicio-
ɔs nobilissimi huius horti flores deco-
it. Regalis hic hortus, in cuius benedictâ
errâ, gemmeus ille flos, inscriptus no-
nen Regis Nazareni enatus est, nunquam
prædatori illi nequam patuit, quem de-
licias suas Rex cælorum elegit. Flori-
dus semper hic *Hortus delicia-
rum Dei* fuit; in quo amore salu-
tis humanæ, Deus *quasi colonus* factus *in
terrâ, & quasi viator declinans ad ma-
nendum,* (Ieremiæ 14. v. 8.) sub pulcher-
rimè virescenti virgineæ carnis vmbrâ
suauissimè requieuit. Non vnquam tere-
do paterni reatûs semper gratissimos
Deo, huius fortunatissimi horti fructus
arrodere valuit; etenim *de benedictio-*

ne Domini terra eius, de pomis cæli, & rore. De pomis fructuum solis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum. Deuteron. 33. v 13 14. 15. Et potuisset huius amænissimi horti dulcissimis pomis mortiferam primæui delicti labem inuidus ille & venenatus serpens inhalare? Ne metuas, ô mortalis, hunc beatum Paradisum, summa hîc pax, summa securitas. Accurre festinus ad hunc *Paradisum diuinæ voluptatis*, lignū vitę in medio ipsius situatum, humillimè venerare. Carpe lætus poma cælestia, vitalia sunt. *Hortus deliciarum nobis sacratissimus tuus vterus, ô Maria:* exclamat S. Bernard. in Deprecat. ad gloriosam Virginem Mariam, &c. *quia ex eo multiplices gaudij flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde affulsit.* Nunquam beatum hunc Paradisum veteratoris illius purulentum virus intoxicauit. Nequaquam in hoc *Para-*

iso voluptatis, vetus Adam terre-
is, etiam per vnicum instans subsistere
otuit vel debuit; quem nouus Adam cæ-
estis, sedem gloriæ, & solium maiestatis
uæ esse voluit; ex quo, non tunica pel-
ceâ indutus, vt olim primus Adam (Ge-
nes. 3. v. 21.) sed paludamento virgineæ
arnis trabeatus in mundum proces-
it. Nunquam in hoc deliciosissimo omnis
beatitudinis Paradiso, spinæ
& tribuli maledictionis germinauerunt;
vbi candida lilia virginitatis, suaue ru-
bentes rosæ charitatis, fragrantes violæ
humilitatis, & omnes omnium virtu-
tum generosissimi flores abundantissimè
effloruerunt; quorum suauissimo odore
dulciter allectus cælestis ille *Agnus, domi-
nator terræ, de Petrâ* sinûs æterni Patris,
deserti (Isaiæ 16. v. 1.) vastitatis scilicet
illius, quam rebellis transfuga Lucifer
cum suis asseclis cælo intulerat, *descen-
dit in hortum suum*, floridum Virginis
Beatissimæ vterum, *ad areolam aroma-*

tum omnium virtutum, *vt pascatur in hortis*, amænitatum virginitatis, *& lilia* purissimi sanguinis Virginis Matris *colligat*, (Can. 6. v. 1.) ibiq; candidissimâ virgineæ carnis lanâ vestitus, nuditatem frigescentis in Adam naturæ humanæ coöperiat. Cæleste hoc lilietum, nulla primi criminis pestilens afflauit aura, quod leni spiranti zephyro Spiritûs Sancti, dulcissimè recreabatur. Nunquam huic *Paradiso beatitudinis* atra nox peccati originalis, nox illa maledicta quondam à patientissimo Iobo (Iob c. 3.) incubuit; quem serenum ac beatum illud mane præuenientis & præseruantis gratiæ, clarissimis suis fulgoribus semper illustrabat. Non vidit vnquam felicissima hæc Virgo luminis gratiæ occasum; in cuius sacratissimo vtero, vt in omnium creaturarum centro, Sol iustitiæ, nube humanæ carnis velatus, squallenti mundo exoriens, gratissimam sibi stationem fixerat. Quid? Cælestis hæc *Aurora consurgens*

gens (Cant. 6. v. 9.) in suo fortunatissimo conceptu, fulgentissimis Solis iustitiæ radiis careret? Quis vidit Auroram sine lumine Solis? quis Mariam sine lumine Solis iustitiæ? quis sine gratiâ? quis sine primitiuâ iustitiâ? Mirè aurea hæc Aurora, filia & mater Solis Iustitiæ, accensa & collustrata à suo Sole, in primo exortu coruscans resplenduit. Versipellis ille draco, *Leuiathan serpens tortuosus* (Isaiæ 27. v. 1.) *non vidit ortum surgentis* huius beatissimæ *Auroræ*: (Iob 3. v. 9.) non infascinauit liuidus malis gni hostis oculus immaculatam Virginis Beatæ Conceptionem. Venustè mellifluus Bernardus in Deprecatione ad gloriosam Virginem Mariam & laude elegantissimâ: *Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es ô Maria, quando veri Solis splendorem tantæ sanctitatis iubare præcurristi, &c. Et rectè quidem auroræ implesti officium. Ipse enim Sol Iustitiæ de te processurus, ortum suum quadam*

dam matutinâ irradiatione præueniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum quas Eua produxerat, in fugam conuertisti: atq; ita desideratum cunctis gentibus Solem mundo inuexisti. Et serm. 4. super Salue Regina: *Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit auroram. Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum, frigidum concupiscentiâ, obscurum ignorantiâ?* Tu ergo Maria genitrix Dei, *processisti vt aurora lucida & rubicunda, quia superatis originalibus peccatis in vtero matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis.* Opus hoc solius fuit Altissimi. *Tu* Deus omnipotens, *fabricatus es auroram* Mariam, *& Solem* Christum Filium eius; (Psal. 73. v. 16.) Magnifica sane fabrica! Palatium Deo dignum? quod *omnium artifex sapientia,* (Sapient. 7. v. 21.) sibi ipsi ædificauit. *Tu sola,* ô Domina, *inuenta es digna, vt in tuâ Virgina-*

ʒnali aulâ, Rex regum, & Dominus
minantium à regalibus ſedibus veniens,
imam ſibi manſionem inter filios homi-
um eligeret. Verè beneplacitum fuit
eo habitare in te, quando ex ipsâ illiba-
carnis tuæ ſubſtantiâ, quaſi de lignis Li-
ani architecturâ ineffabili, domum ſibi æ-
ificauit Dei Sapientia: ſuffulſit eam ſe-
tem columnis argenteis, ac reclinatori-
m aureum in eâ collocauit. Hi ſunt ſe-
tem Spiritus Dei, & hæc eſt vnica illa
aluatoris ſœmina, in quâ ſolâ quæſitâ in
mnibus requiem inuenit, exclamat idem
Bernardus loco ſupra citato in Depre-
cat. ad glorioſam Virginem Mariam, &c.

Iure merito **Forma Dei** eſt Ma-
ia, in cuius Virginali vtero, Vnigenitus
lle, *qui eſt imago Dei* Patris *inuiſibilis*,
(ad Coloſſ. 1. v. 15.) ſolius Spiritûs San-
cti digito, virginei ſanguinis viuis co-
oribus venuſtiſſimè adumbratus, mun-
do viſibilis aſpectabiliſque in ſubſtantiâ
noſtræ mortalitatis apparuit, & *in ter-*

gia

ris visus est, & cum hominibus conuersatu est. Baruch 3.v.38.

Forma Dei est MARIA, signaculum, & sigillum Omnipotenti Dei; omnes etenim fauores, omnes gratias, omnia dona, omnia priuilegia, quæ munificentissimus Deus creaturis suis v bertim largitur, obsignat & sigillat pi issima & liberalissima manus MARIÆ. Ipsa est *Secretaria Magni Dei* ipsa *Thesauraria Sanctissimæ Trinitatis*; *in eius sinum omnes thesauros suos absque mensurâ transfud* DEVS, verissimè docet Sanctus Bernardus in Deprecat. ad gloriosam Virginem Mariam, & laude elegantissimâ. Curr lætus, ô homo mole peccatorum grauatus, ad hanc Secretariam, Cancellariam & Consiliariam Magni Dei; per manus illius supplicem libellum ira Deo porrige; negotium salutis tuæ p illam cum Deo tuo felicissimè transige. Festinus propera, ô homo pauper inops cælestium bonorum, ad hanc Su

pr

premam Oeconomam & Dispensatricem cælestium gratiarum, fauorum, beneficiorum, donorum, meritorum Christi Filii sui & omnium Sanctorum; accide supplex ad illius genua, venerare *Thesaurariam Sanctissimæ Trinitatis, omnis sanctitatis sanctissimum thesaurum*; hîc quo peccatorum tuorum debita creditori DEO dissoluas, satis abundè reperies. Non contracta, sed semper cuilibet aperta est manus Mariæ; pia est, liberalis est, imò prodigalissima est manus Mariæ. *Inuentâ itaq; Virgine Mariâ, inuenitur omne bonum: ipsa namq; diligit diligentes se; imò sibi seruientibus seruit. Ipsa superbenedicto Filio suo irato potentissimè reconciliat seruos & amatores suos. Tanta quoque est eius benignitas, quòd nulli formidandum est ad eam accedere; tantaq; misericordia, quòd ab eâ nemo repellitur. Imò donis & charismatibus ædificat seruos*

suos

suos; vt superbenedicti Filii sui, & Spiritûs sancti digna fiant habitatio. Ipsa, preces & sacrificia seruorum suorum, & maximè quæ sibi exhibentur, repræsentat in conspectu diuinæ maiestatis; quia est aduocata nostra apud Filium; sicut Filius apud Patrem: imò apud Patrem & Filium procurat negotia & petitiones nostras: & sæpe, quos iustitia Filij potest damnare, Matris misericordia liberat, quia **Thesaurus Domini est, & Thesauraria gratiarum ipsius.** *Donis spiritualibus ditat copiosissimè seruientes sibi; & potentissimè protegit eos à triplici aduersario, Mundo, Carne, & Diabolo: quia salus nostra, in manu illius est. Post Filium suum, Domina est vniuersæ creaturæ, & in futuro sæculo glorificabit seruientes sibi, si eam honorificauerint in præsenti.* Huc vsque doctissimè eruditus simul ac sanctus vir quidam Idiota, in Prologo Contemplationis de Virgine

MARIA, qui habetur tomo 10. Magnæ Bibliothecæ Patrum. Et quæ lingua, ô Mater misericordiæ, tuam abyssalem misericordiam valeat satis prædicare? Misericordiâ tuâ, ô Domina misericordiæ, plena est terra, plenum cælum, plena omnis creatura. *Sileat misericordiam tuam Virgo beata,* (ita deuotissimus Bernardus serm. 4. in Assumpt. B. Mariæ, alloquitur Matrem misericordiæ) *si quis est qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis. Laudamus virginitatem: humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur chariùs, recordamur sæpius, crebriùs inuocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit; salutem omnium impetrauit. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est:* Ne *timeas* MARIA: *inuenisti gratiam, vtiq;*

quam

quam quærebas. Quis ergo misericordiæ tuæ ô benedicta longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat inuestigare? Nam longitudo eius vsq; in diem nouissimum inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tuâ quoq; misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris & in vmbrâ mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum: infernus euacuatus est: instauratæ ruinæ cælestis Hierusalem: expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima & piissima charitas, & affectu compatiendi, & subueniendi abundat effectu, æquè locuples in vtroq;. Et serm. 1. super Salue Regina, Mariæ misericordiam sic deprædigat: *Iam in hoc conuenienter vocatur Regina Misericordiæ, quòd diuinæ pietatis abyssum cui vult, & quando vult, quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormi pec-*

*eccator non pereat, cui Sancta Sancto-
um patrocinij sui suffragia præstat.* Ele-
ans est eiusdem Bernardi ad hanc mise-
icordiæ Matrem apostrophe, in Depre-
at. ad gloriosam Virginem Mariam, &
aude elegantissimâ: *Tu peccatorem quan-
umlibet fœtidum non horres, non despicis,
i ad te suspirauerit, tuumq; interuentum
pœnitenti corde flagitauerit. Tu illum à
desperationis barathro piâ manu retrahis,
spei medicamen aspiras, foues: non despi-
cis quousq; horrendo iudici miserum re-
concilies.* Audi eundem mellifluum Do-
ctorem, quid de hac Secretariâ & The-
sauraria Magni Dei dicat, in Sermone de B.
Virgine Maria: *Omnibus omnia facta est,
sapientibus & insipientibus copiosissimâ
charitate debitricem se fecit, omnibus mi-
sericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine
eius accipiant vniuersi: captiuus redem-
ptionem, æger curationem, tristis consola-
tionem, peccator veniam, iustus gratiam,
Angelus lætitiam: deniq; tota Trinitas glo-
riam,*

riam, Filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius.

Quisquis humanâ spe destitutus vitam agis, ad hanc Reginam clementiæ, Propitiatorium Altissimi, asylum peccatorum, velox festina; omnis misericordiæ diuinæ templum est MARIA. *Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ*, confitetur Sanctus Bernardus serm. in Natiuit. Mariæ, de aquæ ductu. *Ad illam enim*, ait idem mellitus Doctor serm. 2. in festo Pentecostes, *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad Negotium sæculorum respiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, vt resarciantur: & qui in inferno, vt eripiantur: qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur: qui sequuntur,*

glorificentur. Eò beatam te dicunt omnes generationes genitrix Dei, Domina mundi, Regina cæli. Appellat porrò D. Bernardus Virginem Sanctissimam, *Negotium Sæculorum;* vel quia Rex sæculorum, in adornandâ quàm maximè vnigeniti Filii sui Matre, ab æterno quodammodo sollicitus, vt circa principale & primarium post Christi humanitatem creationis suæ obiectum, & quasi circa quandam metam ac terminum omnipotentiæ suæ, per sæcula occupabatur; quo modo quàm perfectissimum & absolutissimum operosum hoc molimen intellectûs sui diuini mundo daret. Vel quia, ab ipsis mundi nascentis incunabulis, variis figuris & diuersis prophetiis Virginem sacratissimam adumbratam, omnibus ætatibus & sæculis mundi proponere spectabilem satagebat Deus, vt omnia sæcula negotium hoc & opus diuinum agnoscerent, ac venerarentur. Vel quia, omnia sæcula quàm

quàm ocyssimè videndæ in terris Matris sui creatoris desiderio flagrantia, inter se laudabili licitatione & beatâ negotiatione negotiabantur, quod nam illorum exoptatissimum Dominæ suæ ortum sortiretur. Volebat vnum sæculum præuertere & præcurrere aliud, ne desideratissimo Virginis partu fraudaretur. Vnum alteri beatam felicitatem nascituræ Magnę Matris Magni Dei sancto liuore inuidebat. *Certabant inter se sæcula*, ait ad Virginem recens natam S. Ioann. Damascenus orat. 1. de Natiuit. B. Mariæ Virginis, *quodnam ortu tuo gloriaretur. Verùm seculorum contentionem præfinitum Dei, à quo sæcula facta sunt, consilium superauit: ac postrema prima facta sunt, dum ipsis felici fato natiuitas tua obtigit.* Vel *negotium sæculorum* est MARIA, quia omni tempori, omni ætati, omnibus sæculis, maiestas dignitasque huius nobilissimæ Virginis facessit negotium; dum nullum tem-

empus, nulla ætas, nullum sæculum, glo-
iosissimam Virginem satis laudare, &
pro meritis ipsius, dignas gratiarum a-
ctiones ei rependere queat. *Eleuata est
magnificentia tua super cælos, MARIA, &
super omnem terram gloria tua: ita vt nec
in cælo inueniatur creatura quæ tuam di-
gnè laudare queat magnificentiam, nec in
terrâ sit quæ gloriam tuam exprimere va-
leat.* Nemo *enim nec in cælo nec in terrâ
inuentus est dignus aperire librum præro-
gatiuarum tuarum, & dignè soluere se-
ptem signacula eius. Plenitudinem gra-
tiæ, aduentum Spiritûs Sancti in te, virtu-
tis Altissimi obumbrationem, Verbi conce-
ptionem, quòd sine grauamine grauida,
sine dolore puerpera, Virgo pariter & fæ-
cunda, quis enarrabit?* Ita Bernardus
serm. 2. super Salue Regina. I nunc ô
homo, & magnum aliquid te fecisse ima-
ginare, si guttulam laudis immenso Ocea-
no laudum Virginis Sanctissimæ addide-
ris. Parum est, exiguum est, nihil est,
quod

quod huc vsq; præstitisti Virgini. Omnia sæcula in celebrandâ, honorandâ, colendâq; Dei Matre, operosâ negotiatione occupata laborant & fatigantur, & tu satis superq; te Virginem sanctissimam honorasse & prædicasse opinaris? Falleris miser & nimiùm falleris. Prosterne te ergo ante pedes Dominæ tuæ mancipium MARIÆ; subde collum calcaneo Reginæ tuæ fidelis serue, mancipate Virgini sodalis; indignum te Imperatricis tuæ mancipium fateare; intellectum, linguamque tuam indignam laudibus Dominæ tuæ, ligatam & constrictam humili confessione, ad thronum maiestatis eius abiice; confitendo cum deuotissimo Bernardo serm. 2. super Salue Regina: *Si linguæ centum resonarent, oraq; centum, ferrea vox mihi, MARIA, nil dignum tibi dicere possum Stella maris, quæ Virgo beata vocaris. O quam te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? Infantissima lingua mea, quæ coinquinata*

est

ꝉ cum mortuis, incircumcisa labiis, nec pur
ata igne altaris: inquietum malum, ha-
ens in naribus spiritum, rimis effluens
ndiq;, quid dignum laudibus tuis poterit
mmolare? Vel denique *Negotium*
æculorum est MARIA; quia ipsa est
elicissima negotiatrix omnium sæculo-
rum, omnium temporum, omnium æta-
tatum; omnia negotia, omnes causas, &
ctiones totius mundi in se suscipiens, &
illa cum Deo pertractans, iuxta illud Pro-
uerb: 8, v. 30, *Cum eo eram cun-
cta componens.* Sane *Negoti-
um sæculorum* est MARIA, de quâ,
in quâ, & per quam, omnibus sæculis de-
plorata iam salus & vita rediit. Ipsa est v-
nica aduocata, quæ ante iustissimum frat[i]
Dei tribunal, negotium salutis omnium
hominum omnium sæculorum, felicis-
simè & sine vllo pretio vltro procurat
ac perficit. Ad hanc beatissimam nego-
tia-

tiatricem salutis tuæ curre anima mea; negotia tua cum Deo illi committe; causam tuam ob peccata tua iam desperatæ salutis, piissimis manibus huius fidelissimæ Patronæ & Aduocatæ tuæ trade. *Cæterùm*, monet Bernardus in fine serm. in Natiuit. Mariæ, de aquæ ductu, *quicquid illud est quod offerre* (scilicet Deo) *paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit. Neq; enim impotens erat Deus & sine hoc aquæ ductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi* **vehiculum** *voluit prouidere. Fortè enim manus tuæ aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quòd non eas ab omni munere excussisti. Ideoq; modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliorum ama-*

tor

or inter lilia non inuentum, quicquid il-lud sit quod inter Mariæ manus inuene-rit. Vides Beatam Virginem satis in-geniosè vocari à Sancto Doctore: *Ve-hiculum.* Arduum est iter ad cœ-lum, difficilis ascensus, salebrosa & aspera via; si habes hoc *Cæleste ve-hiculum,* si tibi propitia & beneuo-la fauet MARIA, facillimè con-scendes cælum. Est quod tibi gratule-ris Mariæ mancipium, serue bone & fidelis, qui ferro amoris concatenatus firmissimè huic *Diuino vehicu-lo,* felix captiuus, triumphalem cur-rum Dominæ tuæ libens sequeris, iden-tidem illud Canticor. 1. v. 3. ingemi-nans: *Trahe me*: tuum seruum, tuum perpetuum mancipium, onustum tuis manicis, compeditum tuis pedicis, one-ratum & grauatum amabilibus tuis ca-tenis, ô Domina mea Sancta MA-

 RIA:

RIA: *post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, virtutum tuarum, & cælestium gratiarum, quas verè regia manus tua in seruos suos, & sua mancipia, copiosissimè diffundit; quia tu es *Forma Dei*, sigillum, signaculum, annulus signatorius in omnipotenti manu Dei lucidissimè iucundissimèque resplendens, cuius ille pulchritudinem venustatem assiduè contemplans, velut formâ suâ oblectatur; nihil vnquam ali creaturæ concedens, quæ priùs diuinam hanc formam fauentem sibi non habeat; & cui priùs non apponat & subscribat nomen suum Virgo MARIA. Inde non ineleganter à Sancto Bernardo Serm. de Natiuit. Mariæ, vocatur Deipara: *Aquæductus*; per illam enim omnes gratiæ promanantes à fonte ipso Christo, abundantissimè deriuantur ad omnes creaturas: *Quia hæc vnica illa Saluatoris fœmina, in quâ quæsitâ in omnibus requiem inuenit,*

atq;

tq; in eius sinum omnes thesauros suos bsq; mensurâ transfudit, vt ait idem nellitus Doctor in Deprecat. ad Glo- iosam Virginem Mariam,&c. Quare eriſſimè doctiſſimus Alfonſus Salme- on Societatis IESV Theologus, tomo o. Commentarii in Euangelicam Hi- toriam, tract. 7. pag. 64. docuit, in- quiens: *Mater sanctissima, facta est ad- ocata mundi tanquam pientissima Chri- sti Mater, & dispensatrix omnium dono- rum, & gratiarum, quæ sanguine, & morte eius comparata sunt.* Cui conſo- nat eiuſdem Societatis IESV Theologus Petrus Morales, in cap. 1. Matthæi, tract. 2. n. 3. *Christus Dominus fecit, atq; con- stituit Virginem matrem suam omnium meritorum suorum thesaurariam, vt per eius manus nobis fieret distributio.* Audi deuotum Bernardum ſub finem ſerm. 3. in Vigiliâ Natiuit. Domini, ita te al- loquentem: *Quia indignus eras cui do- naretur, datum est Mariæ, vt per illam*

acciperes quicquid haberes, &c. quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.

Enimuero *Forma Dei* est MARIA: in cuius obedientissimâ animâ, velut in tenerrimâ & mollissimâ cerâ, omnes nutus & minima signa voluntatis Dei, facillimè expressa recipiebantur, & actionibus perfectissimè efformabantur; quippe Virgo Beatissima, à primo instanti immaculatissimæ suæ conceptionis, illud diuinum monitum: (Cantic. 8. v. 6.) *Pone me vt signaculum super cor tuum*, nimirum super voluntatem tuam, *vt signaculum super brachium tuum*, omnes videlicet operationes & actiones tuas; promptissimè semper & exactissimè toto vitæ suæ tempore obseruauit; voluntatem suam, voluntati diuinæ in omnibus conformando, idque perfectissimo & excellentissimo modo. Vnde omnes actus, quoscunque operata est Beata Virgo manens in terris,

tis, effecit non folùm eximiè perfe-
ctos; fed etiam huiufmodi, quorum
fubfequens quilibet, effet perfectior
quolibet præcedenti. In omnibus
quippe occafionibus, exercuit opera
fecundùm vltimum gradum perfectio-
nis, quem tunc poterat attingere, iuxta
latitudinem totam habituum & auxilii
præfentis, prout doctiffimus Francifcus
Suarez tom. 2. in 3. p. S. Thomæ, difp.
18. fect. 2. concl. 2. egregiè more fuo
ratiocinatur. Difce Mancipium Ma-
rianum, imitari Dominam tuam; di-
fce conformare te in omnibus volunta-
ti Dei, quæ eft *bona, & beneplacens, &
perfecta*, ad Roman. 12. v. 2. *Quoniam
vita* tua, falus tua, confolatio, volu-
ptas, delectatio tua, omnis felicitas,
pax, fecuritas, requies, fpes, beatitudo
tua, *in voluntate eius*, Pfalmo 29. v. 6.
fita confiftit.

Omnino **Forma Dei** eft Ma-
ria, in cuius Virginali vtero, illud

quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, Ioan. 1. v. 1. solius Spiritûs Sancti virtute, per vnionem hypostaticam, æternaliter humanæ naturæ impressum, cæcis mortalibus, sedentibus in vmbrâ mortis, clarè innotuit, & *vnigenitus ille Filius, qui est* ab æterno *in sinu Patris*, Ioan. 1. v. 18. in ipsius gloriâ cum ipso coæternus, in veritate carnis nostræ visibiliter corporalis apparuit, quando *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*. Ioan. 1. v. 14. Curre lætus & festinus, mancipate Sodalis Virgini Deiparæ, ad hanc officinam Spiritûs Sancti, & vide cum Sanctis illis Pastoribus, *hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis*. Lucæ 2. v. 15. Lege attentus Verbum illud æternum æterni Patris, in candidissimâ & subtilissimâ Virgineæ carnis membranâ, dulci typo

Amoris

Amoris expressum & exaratum. Contemplare fixis mentis oculis, illud Dei Verbum, incircumscriptum, immortale, omnipotens, cuncta componens, omnia creans, omnia recreans, omnia portans, omnia conseruans, omnia nutriens, ludens coram Patre suo æterno omni tempore, ludens in orbe terrarum, Deum verum de Deo vero; tui causâ, & tui amore, ô ingrate homuncio, factum infans, antro Bethleemitico circumscriptum, mortalitatis lacernâ obuolutum, breuibus fasciis constrictum, infirmum, natum in tempore, nudum, frigescens, vagiens, flens, inops, exinanitum, in vilibus cunis inter bouem & asinum collocatum. Admirare & obstupesce, quomodo Verbum illud, vnigena & deliciæ Patris, virgineâ carne vestitum, in gremio Virginis Matri Virgini dulciter abblandiatur, modicumque lac, Matri Virgini alludens, emendicet: ac sæpius illud Eccle-

siæ in Hymno ad Laudes in Natali Domini rumina, & lætus ingemina:

Fœno iacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Paruoq́, lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Intuere mancipate Sodalis Mariæ, Verbum illud infinitum & immensum, tui causâ abbreuiatum, in angusto Virginalis alui conclaui, infantilibus membris cóârctatum.

Hæc est illa *Verbi abbreuiatio,* facta in vtero Virginis Matris, de quâ Isaias c. 10. v. 23. *Consummationem & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Illius terræ, de quâ Sanctus Psaltes Psal. 84. v. 1. *Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.* Vnde Doctor Gentium ad Roman. 9. v. 28. *Verbum enim consummans, & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Lectita quotidie,

die, Christiane Lector, hoc Verbum aro factum, vide Omipotentiam Dei mbecillem, Sapientiam infantem, Foritudinem debilem: adora humilis Magnum *mysterium, quod absconditum uit à sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum.* Ad Coloss. 1. v. 26. Profunditatem huius altissimi mysterii, Sanctus Gregorius Theologus, Episcopus Nazianzenus, orat. 39. quæ est in Natalem Saluatoris nostri, ita perpendit: *Ipsum* Dei *Verbum, omnibus sæculis antiquius, inuisibile, incomprehensibile, incorporeum, ex principio principium, lux è lumine, fons vitæ & immortalitatis, archetypi imago, signaculum immotum, similitudo incommutabilis,* Patris *definitio(* seu terminus *)ac ratio, ad propriam procedit imaginem,* nempe hominem, quem ad imaginem suam creauit) *carnemq; ob carnem gerit, ac animæ rationali, propter meam commiscetur animam, simili simile expurgans,*

exceptoque peccato, per omnia homo efficitur. Nascitur quidem ex Virgine, cuius caro ac anima, iam antea à Sancto purgata erat Spiritu. Decebat enim, vt ita generatio ornaretur, priùs tamen virginitas honore decoraretur. Procedens autem Deus, post assumptionem, vnum ex contrariis duobus, carne & spiritu, ex quibus hic quidem Deus erat, illa verò in deitatis consortium assumpta. O mixtura noua, ô temperamentum admirandum! Existens nascitur, increatus creatur, intangibilis tangitur, per medium animæ rationalis, inter carnis crassitiem, & diuinitatem interpositæ: ditans depauperatur; ob meam enim pauper est carnem, vt ego suâ locupleter diuinitate: plenus exinanitur; siquidem parumper suâ exinanitur gloriâ, vt ego suam consequar plenitudinem: quæ nam bonitatis diuitiæ? Quid hoc ad me mysterium illud? particeps fueram imaginis eius, verùm non conseruaui. At ille meæ fit particeps carnis, vt & imaginem saluet, carnemque

mq; immortalitate donet, secundam mmunicat communicationem, longè iore admirabiliorem. Quoniam tunc uidem quod melius erat impertitus est, unc verò deterioris efficitur particeps: oc priore diuinius, hoc mentem habentibus sublimius. Hucusque Sanctus Theologus.

Formosissima *Forma Dei* est Maria, *Pretiosa Margarita orbis errarum,* à S. Cyrillo Episcopo Alexandrino Homil. contra Nestorium, uncupata; in hac enim Margaritâ, vnico omnis creaturæ Vnione, illum qui st *splendor gloriæ, & figura* (ex Græco textu, Character) *substantiæ* Dei Patris, (ad Hebræos 1. v. 3.) *& imago bonitatis illius,* (Sapient. 7. v. 26.) sapientissimè exsculpsit Diuinus Amor; illumque immensum Dei Filium, qui *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius: Et occursus eius vsq; ad summum eius:* Psal. 18. v. 6. & 7, illum

illum inquam cælestem Athlantem, *Qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit; qui appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in staterâ*: (Isaiæ 40. v. 12.) *illum Omnipotentem*, qui *Excelsior cælo est, profundior inferno. Longior terrâ mensura eius, & latior mari*: Iob. c. 11. v. 8 & 9, illum inquam Magnum Deum, quem cæli cælorum capere non possunt, vt illi spatia quædam imaginaria infinita, à plerisque Philosophis & Theologis assignari debeant, in exiguâ virgineæ carnis mole, omnibus lineamentis absolutissimè expressum, dextræ Dei digitus Spiritus Sanctus subtilissimè efformauit; ita quòd *membrorum illius dominici corporis distinctio in ipso momento conceptionis & vnionis Dei & Hominis adeo tenuis erat & parua: vt humano visui vix possent subijci*, vt subtiliter docet Magister Sententiarum Petrus Lombardus in 3. Sententiar. dist.

dist.3 O profunditas humilitatis Dei! ô altitudo bonitatis! ô abyssus amoris? Tui amore, ô homo, Magnus Deus, fit paruus Deus. O diuinæ Maiestatis depopulator Amor! Tui causâ, ô mortalis:

Huc ille decreuit gigas.

Pro te, ô miser homuncio vilissime terræ vermicule, Creator ipse *funiculis Adam, vinculis charitatis*, Oseæ 11. v. 4. naturæ humanæ in Virginis vtero arctissimè colligatus, pro te Virgineæ carnis fasciis inuolutus; pro te elate homo, superbe puluis, Deus *paruulus natus est, & Filius datus est*, Isaiæ 9. v. 6. pro te pauperibus pauperis Matris panniculis constrictus iacet in ergastulo, tenetur vinculis. O amor? ô humilitas? Pro te Deus:

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat;
Et manus, pedesq́, & crura,
Strictâ cingit fasciâ.

vt canit Ecclesia in Hymno ad Matutinum Dominicæ Passionis.

Optimè itaque & satis ingeniosè suo more Beatam Virginem, *Formam Dei* vocauit S. Augustinus; in quo etiam fortassis sensu à S. Ioanne Damasceno orat. 1. de Natiuit. B. Mariæ Virginis, eadem Virgo appellata est: *Dei animatum simulachrũ.* Plenus est in suis diuinissimis operibus Sanctus hic Doctor laudibus & encomiis Virginis sacratissimæ; selectissima epitheta, admirabiles titulos, rarissima elogia Augustissimæ cælorum Reginæ dat feruentissimus hic Deiparæ encomiastes, & præclarissimum Ecclesiæ Catholicæ lumen; quippe manum suam dextram, (quæ rabidum furorem impii illius iconomachi Leonis Isaurici Orientis Imperatoris, contra sacras imagines stultè debacchantis, Christiano calamo, hoc est, liberè & magnanimiter repressèrat)

repreſſerat) à Principe Damaſci, barbaro Saracenorum tyranno, per fraudem & nequitiam Iſaurici, innocenter & crudeliter amputatam, at ope Virginis Sanctiſſimæ miraculosè reſtitutam, Liberatricis & Dominæ ſuæ hymnis & præconiis, æternùm conſecrauerat humilis Damaſcenus, profeſſus ſeruitutem & perpetuum Mariæ mancipatum. Cuius mancipatûs inſigne & ſymbolum, in manu dextrâ quoad vixit perpetuò geſtauit, circulum videlicet purpureum, ſeu lineam quandam lucidam & ſanguine ſuauè rubentem, quæ iuncturam præciſæ à tyranno à Deiparâ verò ſanatæ dexteræ ambiens, non ſine magno miraculo, iucundiſſimè in manu Ioannis relucebat; ſignum certiſſimum, & euidentiſſimum indicium, inflicti pro honore ſacrarum imaginum vulneris, & æternum mnemoſynon fauoris & amoris in ſuos clientes Magnæ Matris, O felicem Damaſceni ma-

num

num, quæ fidelem mancipatum Dominæ suæ sanguine proprio subscripsit, dum pro defensione sacri cultûs imaginum Deiparæ crudeli ferro abscindi-tur; ô nimiùm fortunatam manum, cui sanatæ ipsamet Beatissima Virgo talem circulum, velut manicam mancipatûs tesseram, manu suâ propriâ fabricauit. Et quid mirum? si beata illa Sanctissimi Damasceni manus, Deiparæ Virgini mancipata, laudes & præconia, velut debitam gratitudinis pensionem, Dominæ suæ vberrimè refundebat. De hoc circulo purpureo in dexterâ S. Ioannis Damasceni relucente, scribit Petrus Ribadeneira Societatis IESV Theologus parte 2. Floris Sanctorum, in vitâ S. Ioannis Damasceni, 6. Maii, vbi alios citat Authores. Insignia sunt illa Virginis Sanctissimæ encomia, quæ in citatâ oratione 1 de Natiuit: B. Mariæ Virginis, Marianus hic olor Beatissimus Damascenus occinit: *Ma-*

Mater casta, sola digna Creatore : *Filia Deo digna* : *dignum Deo habitaculum* : *venustas naturæ humanæ*, & sexcenta alia his similia. Vocatur porrò Deipara Virgo à Sancto Damasceno : *sola digna Creatore* ; Vel quia, in solâ Virgine sacratissimâ, præ omnibus aliis puris creaturis, dignitas, maiestas, bonitas, & sapientia Creatoris eminentissimè elucet ; quia Dei Filius Matrem sibi *creauit prouidè*, vt canit Ecclesia in Hymno ad Laudes Officii Beatæ Mariæ Virginis, (id est, cum maximâ & grauissimâ deliberatione, ac summâ prudentiâ, prouidendo mundi perditi necessitatibus, talem sibi Matrem elegit) Cùm ergo Deipara Virgo, sit dignissimum, excellentissimum, & nobilissimum opus Dei ex omnibus creaturis ; meritò à Sancto Damasceno appellatur : *sola digna Creatore.* Sic imago affabre

bre & perfectè ab optimo pictore elaborata, dicitur: sola digna perfecto pictore. Vel quia, sola hæc inclytissima Virgo, dignissima & nobilissima creatura, semper correspondit gratitudine suo Creatori; quem illa nunquam, vel leuissimâ culpâ offendit; nec toto vitæ suæ tempore, etiam per vnicum instans seu momentum temporis, Creatori suo ingrata extitit. Sciebat probè humilis Virgo, creatam se fuisse ex nihilo, ac proinde nihileitatis & humilitatis profundissimam abyssum penitiùs ingressa, Creatori suo dulcissimum illud melos identidem suauissimè decantabat: *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in* Deo *salutari meo. Quia respexit humilitatem*, (vel vt nonnulli periti linguarum, Græco textui inhærentes legunt; *vilitatem*, seu *nihileitatem*) *ancillæ suæ*. Lucæ 1. v. 47. & 48. Vnde, sicut Deus, *appendit terram super nihilum*, Iob

ob c. 26. v. 7. sic appendit omnem
erram, vniuersam videlicet creatu-
am, super humilem Virginem, vt ipsa
it Domina, Regina, ac Imperatrix
emper Augusta totius mundi, visibilis
& inuisibilis: *Etenim Domini est terra,
& plenitudo eius: orbis terrarum, & v-
niuersi qui habitant in eo. Quia ipse su-
per maria* (id est, Mariam, mare gratia-
um) *fundauit eum.* Psal. 23. v. 1. & 2.
Sola ergo Virgo Beatissima *digna
Creatore;* quia sola gratissima Deo,
sola memor beneficiorum sui Creatoris.
Non sic reliquæ creaturæ. Vel quia, sola
hęc felicissima Virgo, digna fuit, quę cre-
retur à Deo, ac propterea *sola di-
gna Creatore;* quippe sola meruit
t esset Mater Filii Dei; qui ab ęterno, si-
ue in carne impassibili, etiamsi Adam
non peccasset, vt vult Subtilis Schola
cum suo Subtili Doctore, in 3. sentent.
dist. 7. q. 3. siue in carne passibili, non-

nisi supposito Protoplasti peccato; vt docet Angelica Schola cum suo Angelico Doctore 3. p. q. 1. art. 3. in corp. decreuerat homo fieri; ad quam diuinam maternitatem vt à Deo præ omnibus aliis eligeretur, sola fuit dignissima Virgo Beata, propter dispositiones præuias, vt doctissimus Franciscus Suarez tom. 1. in 3. p. D. Thomæ, disput. 10. sect. 7. concl. 1. docet, dum ait: *Beatissima Virgo fuit condignè disposita, vt esset Mater Dei,* Quod clarè indicat sancta mater Ecclesia Catholica, dum ita alloquitur Beatam Virginem in oratione post Antiphonam Salue Regina: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti: &c.* Et in Antiphonâ Paschali: Regina cæli lætare, alleluia, Quia quem meruisti portare, alleluia, &c. Et ideo Sanctus Damasce-

us l. 4. orthodoxæ Fidei c. 15. nuncupauit Virginem Sanctissimam: *Sanctum, & admirabile, ac summo Deo dignum templum.* Hinc illa apostrophe Ecclesiæ, in Officio Beatæ Mariæ in Sabbatho ad Benedictus: *Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritûs Sancti: sola sine exemplô placuisti Domino nostro IESV Christo: &c.* Et quid ni placuisset? quæ nulli vnquam primordiali noxæ obnoxia, nullâ cuiuscunque peccati labe infecta,

Pulchra tota, sine notâ

Cuiuscunq; maculæ; vt sanctissimus Casimirus Princeps Poloniæ, in suo illo aureo Hymno de Beata Virgine Mariâ canit, gratissimam Deo præparauit in suo Virginali vtero mansionem. *Hîc locum voluptatis vterum Mariæ intelligo,* ait S. Bernardus Sermone in Concept. Beatissimæ Mariæ Virginis, *in quo cumulauit omnes delicias deliciarum*

rum Dominus, de cuius deliciis Spiritus Sanctus admiratorio sermone in amoris cantico eructat: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens? (Cantic. cor. 8. v. 5.) *Nunquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem?* (Iob c. 4. v. 18.) *Nunquid in constellatione vel scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cælo,* (Apocal. c. 6. v. 13.) *aliæ in tenebras obscurantur?* Nunquid in *àère, vel in igne, vel ventis?* Nequaquam *in igne* Dominus, *non in commotione* Dominus, (3. Reg. 19. v. 11.) *non in spiritu* Dominus, *si verus est ille qui in curru igneo, & equis igneis est assumptus in cælum.* Nunquid *in aquis, vbi furens & tortuosus Leuiathan immoratur?* (Iob 40 v. 20.) *aut in terrà, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit & tribulos?* (Genes. 3. v. 18.) *Non est locus voluptatis nisi vterus Virginis. Ex hoc egreditur humanitate, quia vesti-*

s cilicio nostræ mortalitatis, visibilis hu-anis oculis apparuit. Hæc satis melli-mellitus Doctor.

Ex his paucis laudum & prærogati-arum Pretiosissimæ Dei Parentis in-iciis, pie Sodalis, mancipate Virgini anctissimæ, facili negotio collige, quo ultu & veneratione, quàm feruenti de-derio & affectu, Dominam tuam ho-orare tenearis. Infinita quidem & mmensa est quodammodo singularis-ma dignitas & sublimitas Virginis Matris; honor quoque, qui correspon-ere debet tali præeminentiæ, infini-us & immensus sit quodam modo ne-esse est. Effunde te tamen totum quan-us quantus es in præconia Reginæ tuæ; t quia immensum mare laudum est Maria, guttulam saltem laudis tuæ adii-e: etiam duo minuta (Marci 12. v. 42.) paupere famulo suo sponte oblata, ibens recipiet diuinum hoc gazophy-cium Sanctissimæ Trinitatis MARIA,

DE

DE OBEDIENTIA, MARIANI *Mancipij, quam debet præstare Dominæ suæ.*

CONstat Deiparam Virginem, esse veram & legitimam Dominam, Reginamque hæreditariam, omnium creaturarum, vt patet ex supra positis discursibus. Ad quod etiam facit aureum illud S. Ioannis Damasceni orat. 2. de Assumpt. Sanctissimæ Dei genitricis testimonium: *Oportebat*, ait Sanctus hic Doctor Ecclesiæ, *Dei Matrem, ea quæ Filij erant, possidere, atque ab omnibus rebus conditis, vt Dei Matrem & ancillam, adorari. Quamquam enim semper ita comparatum est, vt hæreditas à parentibus ad filios deuoluatur: nunc tamen, vt eruditi cuiusdam viri* (Euripidis in Medeâ) *verbis vtar, sursum Sacrorum fluminum fontes fluunt. Etenim Filius Matri res omnes conditas in seruitutem addixit.* Et ad initium citatæ orationis 2. de Assumptione ita loquitur

Dama-

Damascenus: *Ac mihi velim ea propitia sit, quam laudandam suscepimus, quæ creata omnia superat, atq; omnibus rebus conditis dominatur, velut Dei Mater: qui creator est & opifex, rerumq; omnium imperio potitur.* Hoc ipsum docet idem S. Doctor lib. 4. Orthodoxæ Fidei cap. 15. dum ait: *Itaq; gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine significatur) Verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cùm Creatoris Mater extitit.* Consonat Damasceno S. Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus Serm. de Sanctissimâ nostrâ Deiparâ, sub finem: *Et quandoquidem ipse Rex est qui natus est ex Virgine, idemq; & Dominus & Deus, eapropter & mater quæ eum genuit, & Regina & Domina, & Deipara propriè & verè censetur.* Et Angelicus Thomas opusculo 8. in Expositione Salutationis Angelicæ: *Meritò Angelus reueretur Beatam Virginem, quia Mater Domini, & ideo Domina est. Vnde conuenit ei hoc no-*

 men

men Maria, quòd Syrâ linguâ interpretatur Domina. Probè agnouit hoc regale imperium Virginis Sanctissimæ in res omnes creatas, Seraphicus Bonauentura, in Speculo Beatæ Mariæ Virginis, lectione seu cap. 3. post medium, inquiens : *Maria interpretatur Domina. Hoc quoq; optimè competit tantæ Imperatrici, quæ reuera Domina est cælestium, terrestrium, & infernorum. Domina, inquam, Angelorum, Domina hominum, Domina dæmonum, Domina vtriusq; in cælo. Domina in mundo, Domina in inferno.* Sancto Cardinali adstipulatur Arnoldus Carnotensis Abbas Bonæuallis, in Serm. de laudibus Mariæ, dum ait : *Maria linguâ Syriacâ Domina dicitur : Christus Dominus, Maria Domina ; & licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc seruitutis genus, omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam : & quicunq; IESV curuat genu, Matri quoq; pronus supplicat & acclinis. In supernis & inferis admirationi*
est

est Virgo puerpera: stupent dæmones, gaudent homines, in cœlo gloriam Deo concinunt principatus & potestates. Additq; ibidem: *Nec à dominatione vel potentiâ Filij, Mater potest esse seiuncta.* Sanctus Bernardinus Senensis perbellè de dominatu Virginis Matris discurrit, tomo 1. operum, serm. 61. art. 1. c. 6. *Tot creaturæ seruiunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot seruiunt Trinitati. Omnes nempe creaturæ, quemcumq; gradum teneant in creatis, siue spirituales, vt Angeli: siue rationales, vt homines: siue corporales, vt corpora cælestia, vel elementa, & omnia quæ sunt in cœlo, & in terrâ, siue damnati, siue beati, quæ omnia sunt diuino imperio subiugata, gloriosæ Virgini sunt subiecta. Ille enim qui Filius Dei est, & Virginis benedictæ, volens (vt sic dicam) paterno principatui, quodammodo principatum æquiparare maternum, ipse, qui Deus erat, matri famulabatur in terrâ, vnde Lucæ c. 2. v. 51. scriptum est de Virgine & glorioso Ioseph:* Et erat subditus illis. *Præ-*

terea hæc est vera: Diuino imperio omnia famulantur & Virgo. Et iterum hæc est vera: Imperio Virginis omnia famulantur & Deus. Et infra cap. 7. ita docet: *Lege successionis & hæreditario iure totius vniuersi debetur Beatæ Virgini primatus & regnum. Quamuis autem benedicta Virgo fuerit nobilior persona, quæ fuerit, vel futura sit in orbe terrarum: tantæq; perfectionis, quòd etiamsi non fuisset Mater Dei, non minùs debuisset esse Domina mundi: tamen secundùm leges, quibus regitur mundus, iure hæreditario omnem huius mundi meruit principatum & regnum; quia filius eius in primo instanti suæ conceptionis monarchiam totius promeruit & obtinuit vniuersi, sicut Propheta testatur dicens:* Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo. Psal. 23. v. 1. *Ex iure ergo conceptionis filij Dei, Virgini incumbebat totum illud procurare & administrare, quod ex tunc filio datum est, vsq; ad legitimam ætatem filij sui, sicut ip-*

sius

psius diligens nutrix, & auctrix, secundùm quod volunt iura, &c. Et paulo post subdit: *Quinimmo cùm Filius eius vnicus moreretur in cruce, cùm nec vllum habuisset in terris, qui de iure succederet ei: mater omnium secundùm iura successit, ac per hoc principatum omnium acquisiuit. Successionem autem hanc nusquam legimus reuocatam, sed diuino munere operante, & gratiâ Virginis impetrante, cernimus expressiùs elucidari quotidie, dum eam Dominam & Reginam omnium prædicamus. &c.* Tandemque concludit: *Ex his omnibus apertissimè claret, quòd Mater IESV Christi Maria, hæreditario iure, omnium quæ sunt infra* Deum, *habet regale dominium, & inclytum obtinet principatum.* Ita deuotissimus famulus, & verum mancipium Deiparæ Virginis, Sanctissimus Bernardinus. Atque hoc dominium Deiparæ Virginis in omnes creaturas, pluribus Sanctorum Patrum testimoniis egregiè adstruit Franciscus Suarez tom. 2. in 3. p. D.

Thomæ, diſput. 22. ſect. 2. §. Tertia ratio; vbi ita concludit: *B. Virgo, eò, quòd mater Dei eſt, habet ſpeciale quoddam ius & dominium in omnes creaturas.* Videri poteſt Ferdinandus Quirinus de Salazar, inſignis noſtri æui Theologus, in Expoſitione Capitis 8. Prouerbiorum Salomonis v. 15. & 16. *Per me Reges regnant, &c. Per me Principes imperant, &c.* vbi efficaciſſimis rationibus, & luculentiſſimis Sanctorum Patrum teſtimoniis, perſpicuè demonſtrat regium dominatum Deiparæ Virginis in res omnes creatas; tandemque n. 140. concludit: *Quartò ſequitur,* MARIAM, *in homines, Angelos, ac dæmones, non Reginæ ius, id eſt, poteſtatem iuriſdictionis habere, ſed etiam ius dominij, ratione cuius, verè & propriè ſerui illi mancipati, vel mancipia ſub eius ditione conſtituta appellari debent.* Ad quod confirmandum, allegat aureum axioma D. Anſelmi: *Seruire huic Reginæ*

re-

regnare est, & inter illius mancipia numerari plusquam regium. Quod ipsum docet idem Salazar in Defensione pro immaculatâ Deiparæ Virginis Conceptione cap. 32. per totum §. 1. Atq; hoc regale imperium, ac legitimum, naturale, verum, & proprium, in omnem creaturam regnum & dominium, Beatissimam Virginem, ab ipso suæ immaculatæ Conceptionis instanti ac momento, iure maternitatis adeptam fuisse, idem celeberrimus Author doctissimè probat, in citatâ Defensione, &c. cap. 5. à n. 6. & cap. 14. n. 10. Proinde eruditè satis sapientissimus nostræ ætatis interpres Sacræ Scripturæ, Cornelius Cornelii à Lapide in Commentariis in Exodum cap. 15. v. 20. Sanctissimi nominis MARIA etymon, deducit ab Hebræo *Mora*, & Syriaco, *Mara*; quæ voces Dominam significant. Quam nominis Etymologiam confirmat ex communi

sensu Fidelium, dum ait: *Christiani omnes Beatam Virginem omni linguâ* ***Dominam nostram****, quasi proprio nomine, compellant. Est enim ipsa mater Christi, qui est primogenitus, & dominus omnis creaturæ; vnde & Rabbi Heccados* ipsam ***primam creaturarum***, & ***primum hominem*** appellat. Ita doctissimus Cornelius.

Supplex agnoscit & veneratur Sancta Mater Ecclesia Catholica hoc Dominium Dei genitricis Mariæ, dum eam Fidelibus in iconibus spectandam proponit, redimitam aureo diademate, & cum sceptro regali; & dum verba illa Prouerbior. c. 8. v. 22. & 23. eidem cælorum Reginæ Dominæ suæ supplicabunda defert: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Hebraicus textus sic habet: *Iehoua possedit me principium viæ suæ, ante opera sua*

ex

ex eo tempore. A sæculo principatum habui, à principio ante terram. S. Athanasius in Epistolâ ad Decreta Nicænæ Synodi, verba illa *Possedit me in initio viarum suarum*, legit: *Præfecit me operibus suis.* Viæ etenim Domini, sunt opera & creaturæ Dei. Atq; primatus hic Matris Dei in res creatas, etiam Angelos, ipsis Angelis adhuc viatoribus, statim ab initio creationis illorum, reuelatus est à Deo. Si enim Angeli in viâ constituti, cognouerunt Christum, verum, legitimum, & naturalem Regem, & Dominum suum, vt supremum omnium creaturarum caput, vt asserit Franciscus Suarez l. 5. de Angelis c. 12. n. 13. *vt illum tanquam Deum hominem futurum fide susciperent, & vt caput suum, ac auctorem suæ salutis recognoscerent, & vtroq; titulo diligerent, & reuerenter colerent, & adorarent. Et de hac reuerentiâ, & subiectione ad Christum peculiare præceptum susceperunt.* Quod ipsum docet lib. 7. c. 13. à n. 30. confirmatq; ex illo ad Hebr. 1. v. 6.

Et adorent eum omnes Angeli Dei. Matrem etiam Christi Regis & Domini, vt Reginam & Dominam suam, & totius vniuersi, cognoscere decebat Angelos, vt idem citatus Doctor lib. 6. de Angelis c. 5. n. 10. affirmat, inquiens: *Sicut Christus est Angelorum caput; ita Beata Virgo est eorum Regina, & Domina, & in suo gradu & modo Angeli sunt eius ministri, & ideo ad statum illorum pertinet, vt in Verbo semper illam contemplentur, semperq; illam coluerint, & amauerint. Vnde verisimile est, etiam in viâ aliquam eius cognitionem habuisse: quia sicut reuelatum est illis Deum futurum hominem, ita facile reuelari potuit, futurum fuisse Virginis Filium.* Hæc est illa Mulier, quam vidit Sanctus Ioannes Apostolus, Apocalip. c. 12. v. 1. *amicta Sole, & luna* (omnis nimirum creatura, quæ vt luna mutatur) *sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* In quæ verba Sancti Euangelistæ, Diuus Bernardus Serm. de B. Virgine Mariâ; Signum ma-

magnum apparuit in cœlo, &c. ita exclamat: *Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micans, ornet eas potiùs quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam Sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Nimirum læua Sponsi sub capite eius, & iam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ huius rationem exponere, iudicare compositionem.*

Nec sane magnum cuipiam videri debet, Virginem Sanctissimam, omnibus creaturis dominari, cui ipse creator subesse voluit. Audi D. Bernardum Homiliâ 1. super Missus est: *Maria matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui* Angeli *cum reuerentiâ seruiunt, cum fiduciâ suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit Euangelista:* Et erat, *inquiens,* subditus illis. (Lucæ 2. v. 51.)

Quis

Quis quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quid amplius mireris, siue filij benignissimam dignationem, siue matris excellentissimam dignitatem. Vtrinq; stupor, vtrinq; miraculum. Et quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas absq; exemplo: & quòd Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quòd sequuntur Agnum quocunque ierit. (Apocalip. 14. v. 4.) *Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit? Disce homo obedire, disce terra subdi, disce puluis obtemperare. De auctore tuo loquens Euangelista:* Et erat, *inquit,* subditus illis, *haud dubium quin Mariæ &* Ioseph. *Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori.* Hæc mellifluus Doctor.

Hinc

Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus in Tragædiâ: *Christus patiens*, allo uitur Deiparam:

Hera, filia, dominantis Mater Verbi.

Vides à Sancto Theologo, Deiparam, vocari Filii Dei Matrem, filiam, & heram seu dominam. *Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis & excellens prærogatiua Mariæ, quòd Filium vnum eundemq; cum Deo Patre meruit habere communem*, ait S. Bernardus Serm. 2. in Annunciatione Dominica. Sicut ergo Patri suo æterno, obediuit Christus in omnibus toto vitæ suæ tempore, vt ipsemet de seipso testatur Ioan. 14. v. 31. *Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et Apostolus ad Philippenses 2. v. 8. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis*: ita & Matri suæ sanctissimæ semper libentissimè promptissimèque obedientissimus filius obtemperauit, satisfaciens exactissimè præcepto diuino:

Ho-

Honora patrem tuum & matrem tuam. Exod. 20. v. 12. Sic cælestis Pater, & Beatissima Mater, Christo Filio suo imperabant, quippe in communem Filium:
Diuisum imperium cum patre mater habet.

Et miraberis, Pretiosissimam Virginem omnibus creaturis dominari, quæ ipsi Dei Filio dominabatur, & quod plus est, nunc etiam quodam modo dominatur. Audi attentus Beatum Petrum Damiani, mancipatum seruum Deiparæ Virginis; sic ille Serm. 44. qui est 1. in Natiuit. Beatissimæ Virginis Mariæ, inuictissimam & semper Augustissimam totius Vniuersi Imperatricem, supplicabundus affatur: *Fecit in te magna qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cælo, & in terrâ. Quid tibi negabitur, cui negatum non est, Theophilum* (vide Surium tom. 1. de Sanctis, ad 4. diem Februarii) *de ipsis perditionis faucibus reuocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto fecis, &*

miseriæ subleuasti. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tuâ carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans, (nota verbi emphasim) *sed imperans; Domina, non ancilla. Moueat te natura, potentia moneat; quia quantò potentior, tantò misericordior esse debebis. Potestati enim cedit ad gloriam, iniurias vlcisci nolle cùm possit.* Ita Sanctissimus Cardinalis.

Atque hoc regale imperium Sacratissimæ Virginis in res omnes creatas, facit Deiparam Virginem, videre in Verbo omnes actiones, locutiones, consilia, & cogitationes liberas omnium hominum & Angelorum. Cùm enim Beatissima Virgo, sit vera & legitima Domina & Regina totius vniuersi, resque omnes à Deo conditæ, sint illi subditæ, ac æternaliter mancipatæ, & vt S. Ioannes Damascenus orat. 2. de Assumpt. SS.

Dei-

Dei genitricis supra citatâ loquitur: *in seruitutem addictæ*; ad bonum autem regimen & œconomiam, requiratur plena & perfecta notitia & cognitio subditorum; sequitur necessariò, Deiparam Virginem, statum omnium creaturarum, ac præcipuè intellectu præditarum, plenè perfectéq; cognoscere debere, quò meliùs illas regere & gubernare possit; quod non fieret, si actiones, consilia, & cogitatus liberos hominum & Angelorum exactè non penetraret. Insignis est illa apostrophe ad Deiparam Virginem, Sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani, Sermone de Assumptione: *Spiritus tuus, ô Maria, viuit in æternum, omnia obseruas, omnia intueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit.* Vnde deuotissimum Mariæ mancipium Bernardus Serm. de B. Virgine Mariâ, Signum magnum, verba illa Apocalips. 12. v. 1. *Mulier amicta Sole*, applicans Deiparæ, ita ait: *Meritò ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ*

vltra quàm credi valeat, penetrauit abyssum: vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Ob hanc ergo immersionem in Deo, meritò à Beato Petro Damiani Serm. in Assumptione Beatiss. Mariæ Virginis, qui in ordine est Sermo 40. & Serm. 1. in Natiuitate eiusdem, qui est Sermo 44. Deipara appellatur: *Deificata.* Hinc Franciscus Suarez Tom. 2. in 3. p. D. Thomæ, disput. 21. sect. 3. §. Tertiò ex his, docet: *Piè & probabiliter colligo, videre Beatam Virginem in Verbo, quidquid Deus videt scientiâ visionis, iis solùm exceptis, quæ singulariter ad Christum, & ad interiores animæ eius cogitationes pertinent.* Quam suam doctrinam Theologicis rationibus excellenter confirmat hic Doctor. Sententiam Suarez, sequitur & fusiùs probat Ferdinandus Quirinus de Salazar, in Expositione cap. 8. vers. 18. Prouerbiorum Salomonis, à n. 178. Ideo S. Epiphanius in Serm. de laudibus Virgi-

nis,

nis, vocauit Dominam noſtram Græco nomine *Polyophtalmon*, quod Latinis, Multoculam, vel innumeris præditam oculis, ſignificat. Sanctus quoque Ephræm Syrus Serm. De Sanctiſſimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ laudibus, ſic affatur Matrem Domini: *Inuiolata, integra, planeq́; pura ac caſta Virgo Dei genitrix Maria, Regina omnium, ſpes deſperantium, Domina noſtra glorioſiſſima, eademq́; optima, ac præcellentiſſima: ſublimior cælitibus, candidior Solis radiis atq́; fulgoribus: honoratior Cherubim, & multis oculis* (Græcè polyommatôn) *claris ſpiritibus perſpicacior.* Sane, ſi Deipara, eſt *Speculum ſine maculâ*, quod imaginem Dei Patris inuiſibilem, mundo viſibilem repræſentauit; quid mirum! ſi vniuerſus mundus, nudus & apertus eius ſanctiſſimis oculis repræſentetur.

Magna profectò prærogatiua, magnum priuilegium Deiparæ, creaturas omnes & ſingulas videre, omneſq; cogitatus liberos Hominum & Angelorum penetrare. Soli, poſt Deum Ter Optimum

num Maximum, Christo Domino & Matri eius Sanctissimæ hic honos congit. Etenim Sancti in Patriâ clarè Deum videntes, vident quidem in Verbo per intellectum lumine gloriæ vigoratum, omnia creata, non solùm in genere, & specie, sed etiam in indiuiduo, iuxta mentem Angelici Doctoris lib. 3. contra Gentiles c. 59. vbi docet: *Pertinet igitur ad perfectionem intellectualis substantiæ, vt omnium specierum naturas, & virtutes, & propria accidentia cognoscat. Hoc igitur in finali beatitudine consequitur per diuinæ essentiæ visionem. Per cognitionem autem naturalium specierum, & indiuidua sub speciebus huiusmodi existentia cognoscuntur ab intellectu Deum vidente*; non tamen vident Beati internos actus liberos voluntatis creatæ, nisi ad illos aliquo modo spectent, vel ad illos dirigantur, vt communiter docent Theologi. Felicem te & ter quaterque beatum, mancipate Sodalis Deiparæ Virgini, qui tali Dominâ gloriaris.

ris. Nihil eſt quod timeas. Contemplatur te aſſiduè in hoc exilio poſitum omniſcia Hera tua, benè videt tuas miſerias & afflictiones, intuetur perſecutiones & tribulationes, cognoſcit pericula, proſpicit neceſſitatibus, prouidet ſaluti, paſcit te, regit, tuetur; quia pia & liberalis eſt. Benignus oculus omnipotentis Dominæ tuæ, ſaginat te iumentum ſuum, ſpiritualibus deliciis cæleſtium gratiarum. Conuertit ad te ſuum mancipium Domina tua ergaſtularia, illos ſuos miſericordes oculos; quia Mater miſericordiæ eſt. Lætare ſerue bene, exulta, iubila, & identidem illud occine: *Domina regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Pſal. 22. v. 1. & 2. Cura autem, ne ſereniſſimos Reginæ tuæ oculos, vllâ vnquam vel minimâ re offendas. Delicati ſunt oculi Mariæ, etiam vel leuiſſimam culpam ferre non poſſunt.

Cùm igitur Beatiſſima Virgo, vnà cum Filio ſuo, conſtituta ſit à Deo

cunt omnium gentium, omnium nationum, omnium Prouinciarum, omnium Regnorum, denique omnium creaturarum, vt naturalis & hæreditaria Domina, Princeps, Regina, & Imperatrix semper Augusta, (non quidem principaliter, & independenter ab vllo, sed secundariò, & dependenter à Deo; *Deus plenarium & principale dominium habet respectu totius, & cuiuslibet creaturæ, quæ totaliter eius subiicitur potestati*, ait D. Thomas 22. q. 103. art. 3. in corp. Deipara autem Virgo participatum tantum & communicatum à Deo suo obtinet in res omnes creatas principatum) proinde Mancipate Sodalis Virgini sanctissimæ, agnosce dignitatem tuam, & tantæ factus Mancipium Dominæ, noli ad alterius duri domini potestatem degeneri conuersatione redire. Cura semper, ne sanctissimæ voluntati Deiparæ Dominæ tuæ serue bone, in vllâ re etiā minimâ displiceas, vel contradicas; omnes nutus voluntatis eius obserua, omnibus

omnibus promptissimè obedias, illud semper in corde & ore habens: *Quæ habitas in hortis,* deliciarum æternitatis, seruus tuus, tuum mancipium, *ausculat: fac me audire vocem tuam.* Cantic. 8. v. 13. Iube Domina mea quod vis, impera quod tibi placet, lubens ad iussa curram, ad imperata tua lætus volabo. Nullas refugiam difficultates, nulla prætendam pericula, nullos detrectabo labores. Etenim omnia tibi, Domina mea, subsunt, omnia seruiunt, omnia obediunt, cælum, terra, cæteraque elementa, & quidquid ex illis coagmentatum est, animalia, volucres cæli, & pisces maris, & omnes aliæ visibiles & inuisibiles creaturæ, Angeli & ipsi dæmones. Omnia regali tuo sceptro Virgo potentissima parent; vniuersa creatura sub pedibus tuis tibi æternum mancipata, Dominam te suam supplex agnoscit & veneratur: tibi vniuersus orbis ambitioso famulatu ancillatur; tuæque po-

ntiæ arctissimis compedibus perpetuò e esse deuinctum gloriatur:

O nimiùm dilecta Deo, cui militat orbis,
Et coniuratæ veniunt ad vincula gentes.

Agnosco, agnosco te Dominam meam, Mate Dei mei, sub tuis diuinissimis pedibus me, indignissimum mancipium, tuum tamen, humillimè prosterno. Calca rebelle hucusq; caput meum, Domina mea; tibi iam mancipatum, totum posside; rape *raptrix cordium* (sic te tuus vocat Bernardus *meditat. super Salue Regina*) cor meum, tuum transfugam. Inde collo vincula, manibus pedibusq; pedicas manicasque iniice; ergasterio tuorum mancipiorum me fugitiuum & vagabundum famulum tuum æternùm include. En iam ante te prouolutus nequam seruus tuus, ex intimis præcordiis ad te clamo filius Euæ ad te suspiro gemens in hac lachrymarum valle: Domina Domina Regina omnipotens, in ditione enim tuâ cuncta

sunt

ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare me tuum mancipium. Tu, Domina mea, vnà cum Filio tuo Domino meo, regis cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Domina omnium es, nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ. Cuncta noſti, & ſcis. Et nunc Domina Regina, miſerere ſerui & mancipii tui; Ne deſpicias me partem tuam, quam cum Filio tuo redemiſti tibi de manu inferi. Exaudi deprecationem meam, & propitia eſto ſorti & funiculo tuo, tuis vinculis tibi vincto, tibi æternùm mancipato. Da Regina mea, tibi in omnibus obtemperare, te amare, tuam voluntatem in omnibus ſequi; quia voluntas tua, conformis eſt voluntati diuinæ; & quidquid tu vis, vult & Dominus meus Deus meus. Quare manu tenens hanc compedem, proteſtor coram te, Heroina mea, me iam non eſſe meum, ſed tuum: tu etenim ſcis, quia tuus ſum; in te proiectus ex vtero matris meæ.

Iniic

Iniice securè manum tuam in me tuum mancipium. Dic Domina mea, iuxta vsitatam veteribus (*Barnabas Brissonius lib. 5. de Formulis*) Mancipationis formulam: *Hunc meum esse dico*, nexum & mancipium; quia: *et ego item esse aio te meam*, naturalem & hæreditariam Dominam. Abrenuncio Domina mea clementissima, omni libertati meæ; abnego propriam voluntatem meam; quam salutaribus tuis compedibus vinctam, & tenacissimè constrictam, ad sacratissimos Maiestatis vestræ pedes sisto. Cape profugum seruum tuum, coërce vinculis nequam subditum tuum; posside in æternùm me vinctum tuum. En conceptis verbis, clarè coram vniuersâ creaturâ profiteor & protestor; Me tuum esse, è numero omnium tuorum mancipiorum indignissimum mancipium, scabellum pedum tuorum.

Porrò obedientia Mariani mancipii, quam debet præstare Deiparæ Dominæ suæ, consistit in diligentissi-

mâ obſeruatione omnium mandatorum Dei: quia quidquid vult & præcipit Deus; hoc ipſum vult & præcipit Maria: & omne quod non vult & prohibet Deus; non vult & prohibet Maria: & ſicut Deus odit & abominatur omne peccatum; ſic omne id quod Deum offendit, execratur Maria; quæ propter peccata mundi, vnicum Filium ſuum Chriſtum IESVM, crudeliſſimas pœnas, acerbiſſimoſque dolores pati, & ignominioſiſſimum Crucis tormentum in ferali illo Caluariæ monte ſubire, lachrymoſis oculis doloroſa Mater vidit & indoluit. Maximus ſane & infenſiſſimus hoſtis Mariæ, eſt peccatum; quod innocentem Filium in corpore, & afflictiſſimam Matrem interemit in corde. Fuge, caue peiùs & angue, Sodalis mancipate Virgini, crudelem ſicarium, & impium Deicidam, peccatum: fuge Dei Matris, Dominæ tuæ, durum tyrannum. Et quæ mens concipere, quæ lingua enarrare, quæ manus exprimere poterit;

erit, quàm acerbè, quàm crudeliter, Deipara Virgo, Filio suo dulcissimo patiente & moriente propter delicta & scelera totius mundi, in corde suo virginali excruciabatur? Audi quid dicat S. Ioannes Damascenus lib. 4. orthodoxæ Fidei c. 15. *Beata* Virgo, *quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, vt quæ pro materno suo affectu viscera sibi lacerari senserit, & dum eum, quem Deum gignendo norat, vt sontem ac facinorosum morte affici conspiceret, intimis cogitationibus, tanquam gladio, discerperetur. Atq; ita intelligendum est illud:* Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. *Luc. 2. v.* 35. Huc vsq; Sanctus Doctor. Iam verò Sanctus Bonauentura tom. 7. operum in Stimulo Amoris p. 1. cap. 3. sic alloquitur mæstissimam Virginem Matrem, stantem iuxta Crucem IESV: *O Domina mea, vbi stabas? Nunquid tantùm iuxta Crucem? Immo certè in Cruce cum Filio ibi crucifixa eras secum. Sed hoc distat,*

quia ipse in corpore, tu autem in corde. Nec non & eius vulnera per corpus eius dispersa, sunt in corde tuo vnita. Ibi Domina lanceatum est cor tuum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, exprobratum, & contumeliis plenum, aceto & felle potatum. O Domina cur iuisti immolari pro nobis? Nunquid non sufficiebat Filij passio nobis, nisi crucifigeretur & Mater. O cor amoris, cur conuersum es, in globum doloris? Aspicio Domina cor tuum, & id non cor, sed myrrham, & absynthium, & fel video. Quæro matrem Dei, & ecce inuenio sputa, flagella, & vulnera: quia tota conuersa es in ista. O amaritudine plena quid fecisti? Cur vas sanctitatis fecisti vas pœnalitatis. &c. O mira res, tota es in vulneribus Christi, totus Christus crucifixus est in intimis visceribus cordis tui. Ita Sanctus Cardinalis.

Iure meritissimo igitur, Diuam Virginem Sancti Patres, Martyrem, imò plusquam Martyrem esse docent. Ita disertè Sanctus Hieronymus tomo 9. qui inscri-

batu

bitur Epistolarum, epistolâ 10. seu Serm. de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis: Dei genitricem, *circumdabant flores rosarum & lilia conuallium: eò quòd omnes animæ martyrio rubricatæ, eam æternæ dilectionis complectuntur amplexibus: & virginitatis splendore candidatæ, ac si lilia in valle humilitatis enutritæ circumdant eam venerationis gratiâ obsequentes. Rectè igitur beata Dei genitrix, & Martyr & Virgo fuit: quamuis in pace vitam finierit. Hinc quoq; quòd verè passa sit, testatur Simeon Propheta, loquens ad eam:* Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius (Luc. 2. v 35.) *Ex quo constat, quòd supra Martyrem fuerit. Alij namq; Sancti etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in animâ (quia immortalis est) pati non potuerunt. Beata verò Dei genitrix, quia in eâ parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideo (vt ita fatear) quia spiritualiter & atrociùs passa est gladio passionis Christi, plusquam Martyr fuit; vnde constat, quia plus omnibus dilexit,*

xit, propterea & plus doluit, in tantum vt animam eius totam pertransiret, & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis. Quæ quia mente passa est, plusquàm Martyr fuit. Nimirum & eius dilectio ampliùs fortis, quàm mors fuit: (Cantic. 8. v. 6.) quia mortem Christi suam fecit. Ita Sanctus Hieronymus. Cui concinit melleus Doctor, Sermone de Beatâ Virgine Mariâ: Signum magnum, &c. vbi post cætera egregiè & erudite dicta, concludit: *Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quàm martyrem non immeritò prædicemus, in quâ nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus.* Eleganter satis Alfonsus Salmeron tom. 10. Commentarior. in Euangelicam Historiam, tract. 41. pag. 426. ita discurrit: *Radix doloris est amor: qui quò est vehementior, eò dolorem efficit intensiorem. Cùm enim amoris ingenium sit, amantem transformare in amatum; magnitudo amoris existentis in Virgine, in causâ*

erat,

rat, vt omnia vulnera, spinæ, & claui, itq; ictus carnem Christi rumpentes, totidem essent sagittæ per oculos Virginis in animam suam penetrantes. Vides, quales pœnas, quàm acerbos cruciatus Deiparæ, & quod caput est, quàm atrocem mortem Deo ipsi, vel vnicum peccatum inobedientiæ primorum nostrorum Parentum, inflixerit? siquidem, vt docet Angelicus Doctor 3. p. q. 1 art. 4. in corp. Christus Dominus quamuis venit in hunc mundum ad deletionem omnium peccatorum; tamen principaliùs ad tollendum originale, quod fuit inobedientiæ. Magnum profectò telum inobedientia præuaricatoris Adami & Euæ; quæ & innocentem Dei filium occidit in corpore, & Deiparam Virginem tàm dire in corde lancinauit. Execrare, mancipate Sodalis Virgini, nefandum parricidam illum, peccatum; caue, ne vel minimum Dei mandatum transgrediaris. Sic Deo obediens, obedies Mariæ; fiesque verum Dei &

Deiparæ mancipium, colligatum ſacroſanctis mandatorum Dei vinculis; vt meritò cum Sancto Prophetâ glorieris: *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Pſal. 15. v. 6.

Atque hæc obedientia, eſt ſummum & principale penſum & tributum, quod Mariæ mancipium, Deiparæ Dominæ ſuæ quotidie offerre debet. Ad quam obedientiam, quò faciliùs promptiùſque exciteris, & ad obtemperandum in omnibus Dei & Deiparæ voluntati ſtabiliùs obfirmeris, ſigno exteriori interior deuotio & affectus tuus erga glorioſiſſimam Dominam tuam iuuandus eſt; quò altiùs radices ſuas in corde tuo ſanctiſſimæ Virginis amor agat. Hoc ſignum exterius, erunt compedes vel manicæ, catenulaue ex quocunque metallo confecta, vel certè funiculus ex qualicunque materiâ contextus; quorum quod tibi maximè placuerit, in manu ſeu brachio, vel collo appenſum geſtabis. Talia vincula quotieſcunque in-

intueberis, mancipium te esse Dei & Deiparæ in memoriam reuocabis; & oculi agnoscentes in manu vel collo seruile signum mancipatûs, animo iam prompto & bene disposito, sanctum Dei & Deiparæ timorem facile transmittent. Atq; ita Sodalis mancipate Mariæ: *Erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutû, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est in illâ, & vincula illius alligatura salutaris.* Ecclesiastici cap. 6. v. 30. & 31.

HIS omnibus bene cognitis perspectisque, si cuipiam allubuerit, Deiparæ Virgini, & re & nomine mancipari, sacrumque mancipatum parthenium profiteri, talem ritum seruabit.

PRAXIS MANCIPATIONIS MARIANÆ.

QVam primùm in animum tuum induxeris, salutari vincturâ Marianarum compedum colligari;

figari; eliges diem aliquam assumendis sacris hisce vinculis commodam; cuiusmodi sunt omnia festa Beatissimæ Virginis, & præcipuè festum Annunciationis, quod est propria parthenii Mancipatûs solennitas; siquidem tunc altissimum profundissimæ humilitatis Verbi & Virginis mysterium peractum est, in quo sacer hic mancipatus fundatur, vt ex dictis ad initium libri clarum est. Et hic dies Incarnationis Dominicæ, est titularis sacrosancti seruitii Mariani. Optimum item tempus est, festum Assumptionis, quando videlicet Deipara Virgo, Domina nostra gloriosa, assumpta in cælum, & in regali solio proximè Deo collocata, iuxta illud: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato : circumdata varietate*. Psalm. 44. v. 10. rerum omnium creatarum sibi à Deo traditam adiuit possessionem. Opportuni præterea sunt huiusmodi mancipationi omnes dies Sabbatini, vtpote ab Ecclesiâ Catholicâ Virginis sacratissimæ honori

nori consecrati. Pridie præparandus animus piis exercitiis, & bonis operibus; exempli causâ, ieiunio, eleemosynâ, oratione, meditatione, confessione sacramentali. Compedes autem, quæ sunt propria stemmata & insignia parthenii mancipatûs, per Sacerdotem benedici curabuntur, eâ formulâ, quæ inferiùs hunc in finem proponitur. Ipso die designato, quo sacra vincula assumuntur, oportet sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ primò sumere; deinde ad aliquam Beatissimæ Matris imaginem se conferre; antequam humi in genua prostratus, sacras compedes, catenulamue, vel funiculum benedictum, manibus præferens, supplici prece teipsum totiùs vniuersi Dominæ humiliter offeres, æternùmque mancipabis, recitando sequentem orationem.

ORATIO ASSVMENTIS PARthenii Mancipatûs vincula.

O Regina cœli, Domina mundi, Virgo Dei genitrix Maria: Ecce ego N. indignissimus omnium creaturarum, ante thronum tuæ gloriæ prostratus & abiectus; quanto possum maximo affectu lætor, te Dominam meam dignissimam, immortalis gloriæ coronâ redimitam, in totiûs vniuersi Imperatricem à Deo præelectam. Gratulor coronæ sceptroq; Maiestatis tuæ. Vtinam omnis creatura, nullâ omnino exceptâ, summo tuo Dominio debitam seruitutem, manifestis signis palàm testatam faceret! En saltem ego, supplex & ad tua obsequia humi procumbens, hac amicâ luce pro meâ conditione nimiùm fortunatus, meipsum tibi in oblationem voluntariam, totis medullis offero, palàmq; o Regina mea, coram omni curiâ cælesti, ac vniuersâ creaturâ, profiteor & protestor, me non solùm tuum esse subditum, & seruum, verùm etiam perpetuum

Man-

Mancipium. Quare in signum ac memoriam, tam abdicatæ libertatis meæ, ex nunc tibi deuotissimæ, ac initæ perpetuæ seruitutis; quàm inuisibilis & spiritualis illius catenæ, quæ amore tui cor meum benedictissimis imperij tui gubernaculis adstrinxit; firmiter statuo, hæc visibilia amoris vincula induere, (hîc numellas seu compedes indues) *illa mecum circumferre, cum illis viuere, in illis mori, & sepeliri Mancipium tuum Maria. Ambiant alij, quantum lubet, purpuram, coronas, sceptra; quærant aureas torques & armillas; ego ex nunc vinctus in te Dominâ meâ, gloriabor de nullâ vnquam aliâ coronâ, quàm de hisce vinculis, in hoc exultans summè, si ab omnibus parthenicum Virginis Mariæ Mancipium agnoscar & compeller. Placeat tibi itaq; ô Reginarum Regina, me vel pro infimo & tuorum Mancipiorum postremo recipere, & quoad vixero, potentissimo tuo sceptro peccatorum vincula procul arcere, & me diaboli laqueis in horâ mortis expedire, eiusq; pedicas infernales infringere,*

gere,

gere, ne in flammas & æternos cruciatus detrahar; sed tuâ pijssimâ manu, cum felicioribus multò his vinculis charitatis, funiculis amoris, ad cælos subleuer; vbi Angelorum & Sanctorum choris consociatus, te Reginam & Dominam meam æternùm honorandam, laudem, amem, honorem, & adorem in sæcula sæculorum, Amen.

ALIA ORATIO, SEV MODVS breuior tradendi se in Mancipium sanctissimæ Virgini & pretiosissimæ Matri.

PRetiosissima Dei genitrix, vniuersorum Domina, & Princeps totiûs humani generis; cui seruiunt Angeli & Archangeli; Cherubim quoq; ac Seraphim dignissimè famulantur: Ego N. hominum creaturarumq; vilissimus, quanquam tibi aliàs satis superq; serui mancipijq; iure obnoxius; nunc tamen etiam motu proprio, tibi Dominatrici nationum, & Principi Regum, me totum dedo, & in seruum, in mancipium, in iumentum perpetuum trado,

do. Expolio me omni meo, si quod habeo, iure, omni libertate, omni arbitrio; illudq́ totum in manibus tuis æternaliter depono. Posside me, ô Domina, vtere, abutere, mancipij loco habe, tanquam iumentum tuum proprium tracta & exerce. Id vnum abs te muneris & fauoris semper cupiam & habebo, si me assiduè ad propria mancipiorum iumentorumq́ tuorum obsequia adhibere dignaberis. O Domina, sic fiat oro; & ne digneris aspernari qualecunq́ mancipij tui obsequium. Dignare autem me seruire tibi quàm seruilissimè. Sis tu Domina mea æterna, sim ego mancipium & iumentum tuum æternum, dum Deus erit Deus. Cui honor in sæcula,

AMEN.

Poteris etiam & hac sequenti oratione, si placuerit, vti.

FORMVLA OFFERENDI SESE Deiparæ Virgini, in perpetuum Mancipium.

SAnctissima Virgo & Mater Dei Maria: Ego N. licet vndecunq; indignissimus, qui seruorum tuorum sim in numero; motus tamen tuâ bonitate & pietate, quam Angeli admirantur, & impulsus tibi quàm humillimè seruiendi desiderio: te hodie, coram Angelo Custode, & curiâ cœlesti vniuersâ, in singularem Dominam, Aduocatam, & Matrem eligo; firmiterq; propono, me semper tuum fore seruum & mancipium; & procuraturum, quantum in me erit, vt ab omnibus tibi seruiatur, & omnes te honorent. A te igitur pijssima Matre, per pretiosissimum sanguinem Filij tui pro me in Crucis arâ effusum, peto suppliciter, vt me in album seruorum tuorum admittere digneris tuum mancipium. Adsis mihi, meisq; actionibus, & impetra mihi à Filio tuo, vt ita me geram in omnibus meis cogitationibus, ver-

verbis, & operibus, vt nihil vnquam dignissimis tuis, Filijq; tui oculis ingratum commmittam. Fac obsecro, semper tui memor viuam, neq; tu me vnquam deseras, & præsertim in horâ mortis mihi assistas, Amen.

LEGES SODALIVM MANCIPATORUM *Sanctissimæ Virgini.*

PRima & principalis est: Deiparam Dominam, amare, colere, & venerari, aliosque ad similem amorem, cultum, & venerationem, quâ verbis quâ exemplo incitare. Quare imaginibus Deiparæ, honorem debitum & reuerentiam, semper exhibeat Mancipium illius, necesse est. Curabit verò illius imaginem domi suæ semper habere. Adhæc, quandocunque dulcissimum nomen Dominæ suæ, MARIA, leget, vel audiet, exteriori signo, v. g. inclinatione vel detectione capitis, adorabit; siquidem, teste Arnoldo Carnotensi Serm. de laudibus Mariæ: *Quicunq; IESV curuat*

genu,

genu, Matri quoq; pronus supplicat & acclivis; & e conuerso.

Secunda: Omnibus diebus festis Beatissimæ Virgini ab Ecclesiâ dicatis, si commoditas adsit, sacrâ exomologesi peccatis rite expiatis, ad diuinam synaxim accedere.

Tertia: Quolibet die Sabbati, aliquod pium opus in honorem Deiparæ Dominæ suæ exercere v. g. dare eleemosynam; sacrum Missæ officium audire; Rosarium, Coronam, Litanias, Officium immaculatæ Conceptionis, Hymnum Sancti Casimiri, vel aliquid aliud his simile recitare; quod erit vice pensionis ordinariæ & debiti tributi.

Quarta: Quotidie orare pro captiuis apud infideles, & incarceratis, ac præcipue pro animabus quæ in igne Purgatorio inclusæ detinentur, & carent suffragiis.

Quinta: Quando in transitu occurrit Ecclesia vicina, si commodè potest fieri, inuisere Christum Dominum, manci-

pium

pium Amoris, ab Amore dulci tyranno funibus Sacramentalibus fortissimè ligatum, & in suaui Eucharistiæ carcere reclusum; cuius *deliciæ* sunt, *esse cum filiis hominum*. Prouerb 8. v. 31.

Sexta: semper gestare prædictas compedes seu numellas; vel etiam catenulam, aut funiculum; & interdum per diem, & maximè manè, cùm è lecto surgendum erit, vincula parthenia, in signum gratæ seruitutis & mancipationis Marianæ, deuotè exosculari, dicendo: *O Domina mea Virgo Maria, quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & tuum perpetuum mancipium.*

Septima: Aliquam, quæ magis arriserit, ex præmissis orationibus, vel aliquam aliam orationem ad B. Virginem; vel ad minimum, vnam salutationem Angelicam, semel quolibet die, humiliter & deuotè recitare.

Notandum porrò est, qui se huic sanctæ seruituti Cælorum Reginæ dedicarunt, hæc pietatis studia facere inter se

se ex pacto communia; ac proinde omnes debere pro se adinuicem orare, quò meliùs in aulâ tantæ Dominæ queant famulari; nec non pro animabus, iam vitâ functorum Sodalium Deiparæ mancipatorum, diuinæ iustitiæ satisfacere.

FORMVLA CONSECRANDI *& benedicendi parthenij Mancipatûs vincula.*

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & vsque in sæculum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vincula peccatorum nostrorum disrumpis, vt libertate filiorum gaudere valeamus, & qui ad vincula salutis homi-

minem aduocas, dicens: Inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: & ne acedieris vinculis eius: hæc vincula, quæ in signum perpetuæ seruitutis, ad honorem Beatæ Virginis serui eius deferre intendunt, Bene✠dicere, & Sancti✠ficare digneris: & concede eis, sic deuotè illa gerere, vt viuendo candore castitatis illustrentur, ac moriendo à vinculis peccatorum absoluti, intercessione eiusdem Sanctissimæ Matris Mariæ, tecum & cum illâ in Regno gloriæ congaudere valeant sine fine. Qui viuis & regnas Deus vnus in Trinitate perfectâ, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Deinde aspergantur aquâ benedictâ. Si fuerit vna duntaxat catenula, vel compes, vel funiculus, dicatur oratio in singulari, hoc modo: *Hoc vinculum, quod in signum &c. Seruus eius deferre intendit, &c.*

PRO-

PROTESTATIO MARIANI *Mancipij.*

PRotestor coram sanctissimâ Trinitate, & totâ curiâ cælesti, quia:

1. Credo propter testimonium Spiritûs Sancti, te sanctissimam Virginem esse Matrem Dei; & quidquid proponit de te credendum sancta Romana Ecclesia credo, & sanguine meo consignare paratus sum.

2. Spem salutis meæ, secundùm Deum, in te tanquam Matre meâ clementissimâ colloco.

3. Appretio, præeligo, & præiudico, te secundùm Christum, tanquam principem creaturam omni creaturæ.

4. Adoro & honoro te cultu Hyperduliæ, tanquam Matrem Dei, & creaturam, Deo summè gratam.

5. Gratias tibi ago, & agam pro omnibus beneficiis à Deo postulante mihi præstitis.

6. Animam, corpus, labores, merita,

ta, studia, vitam meam, omnibus titulis & nominibus tibi do, dono, dedico. Tuum mancipium, capite census, seruus originarius esse volo; quolibet die omnes cogitationes, locutiones, & actiones, tanquam capitationem, & stipendium debitæ seruitutis meæ, tibi post Deum, lætus soluam. Ideoque me, tanquam tuum, & semper tuum, nunc & in horâ mortis defende clientem.

Dispone de me vt tuâ re,
ô Mater,
ô
Regina.

ORATIO AD B. VIRGINEM, S. IOANNIS DAMASCENI EX *Græco in Latinum conuersa.*

Orat. 1. de Natiuit. B. MARIÆ Virginis.

MAter casta, sola digna Creatore Cœlum viuum, ex quo Sol iustitiæ exortus est, Concha maris mundi quæ cælitus ex fulgetrâ diuinitatis in-

vtero concepisti, & peperisti ingentis pretii margaritam Christum. O Ioachim & Annæ filia, Angelis superior, & Angelis dominans. O filia pulcherrima & dulcissima. O lilium inter spinas, ex nobilissimâ & maximè regiâ radice Dauidicâ exortum. O rosa ex spinis Iudæorum germinans, ac diuinâ fragrantiâ cuncta replens. O filia Adami, ac mater Dei. O filia sanctissima Ioachim & Annæ, quæ latuisti principatus & potestates, átque ignea tela nequissimi; quæ in thalamo Spiritûs versata es, atque conseruata immaculata in Sponsam Dei. O filia sanctissima, formidabilis rebellibus potestatibus. O filia Deo amabilis, parentum decus; te omnes generationes beatam prædicant, vt dixisti vera loquens. O filia Deo digna, venustas humanæ naturæ, primæ matris Euæ correctio; etenim per tuum partum, quæ lapsa fuerat, erecta est. O filia sanctissima, mulierum ornamentum. O filia semper Virgo, dignior omni creaturâ. Ex te enim

nim solâ summus ille opifex partem assumpsit, nostræ massæ primitias. Caro ipsius ex carne tuâ, & sanguis ex sanguinibus tuis, & lac mamillarum tuarum suxit DEVS, ac labiis tuis Dei labia basiasti. O incomprehensibilia & ineffabilia miracula. Te prænoscens rerum omnium *D*eus, dignam amauit, amatam prædestinauit, atque nouissimis temporibus in mundum produxit, ac Deiparam matrem, & nutriciam sui Filii & Verbi ostendit. O fœmina desiderabilis ter beata. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. O fœmina, filia Regis Dauid, & mater omnium Regis Dei. O diuinum, & animatum simulachrum. Tota Spiritûs thalamus es, gratiarum pelagus. Tota pulchra, tota proxima DEO. Ipsa enim supergressa Cherubinos, & supra Seraphinos uecta, DEO es propinqua. O Virgo Deo grata, templum *D*ei sanctum, quod ille Princeps pacis Salomon spiritualiter construens inhabitauit. Dei mater,

miraculorum abyssus, fons vniuerso orbi salutaris. Saluto te MARIA, dulcissima Annæ filia; dignum DEO habitaculum. Meritò te omnes generationes beatam prædicant, vt electam humani generis dignitatem. Tu sacerdotum gloria, Christianorum spes, virginitatis feracissima planta; per te enim frondes virginitatis latissimè diffunduntur. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Qui confitentur te Deiparam, benedicti sint, & qui inficiantur, maledicti. O Ioachim & Annæ filia, ac Domina, accipe orationem peccatoris, ardenter tamen te amantis & colentis, te solam, spem gaudii possidentis, vitæ præsidem, & cum tuo Filio reconciliatricem, firmumque arrabonem salutis. Peccatorum sarcinam discute, & quod menti meæ tenebras offundit, ac terrenam crassitiem dissipa. Tentationes comprime, sanctèque vitam meam guberna, & ad supernam manuduc beatitudinem. Largire pacem

mund

mundo, & omnibus huius vrbis orthodoxis incolis, perfectam lætitiam, ac salutem sempiternam. Fiat, fiat. Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS Christus, Dei Filius. Ipsi gloria cum Patre & Spiritu sancto, in infinita sæcula sæculorum, Amen. Bibl. Jag.

ORATIO AD DEIPARAM VIRginem, ex SS. Patribus, tam Græcis quàm Latinis collecta.

AVE Maria, mater Dei. Aue gratiâ plena. Aue mater & Virgo admirabilis. Aue miraculum super omnia miracula miraculosissimum. Aue Maria. Tu es verè pretiosa, & super superque pretiosa margarita orbis terrarum. Tu pretiositatis & admirabilitatis abyssus. Tu pretiosum reconditorium gemmæ Diuinitatis. Tu omnis pretiositatis thalamus. Tu Diuinitatis thesau-

rus. Tu omnis pretii officina & archiuum.

Tu perfectionum diuinarum centrum & circulus. Tu conceptaculum eſſentiæ diuinæ. Tu ſecretaria & conſcia arcanorum Dei. Tu cóoperatrix & adiutrix & completrix Diuinæ generationis Filii ex æterno Patre. Tu principii Spiritûs ſancti ex Patre Filioque procedentis cumulatrix. Tu compendium præſentiæ ac potentiæ Dei. Tu complementum fæcunditatis & communicabilitatis diuinæ. Tu ſecundum æterni Verbi principium. Tu Diuinitatis affinis. Tu latibulum & conclaue myſteriorum & arcanorum Dei. Tu humiliatio Altiſſimi. Tu comprehenſio Trinitatis. Tu fons beneficiorum Dei, & omnium operationum ad creaturas. Tu ſedes Emanationum Dei ad intra. Tu congregatio vniuerſi. Tu Dei Regina & Domina. Tu deliciæ Trinitatis. Tu bonorum, perfectionum, operationum, ſecretorum, beneficiorum, gratiarum, miraculorum, mi-

miſerationum, iudiciorum, potentiæ, laudum, maieſtatis, laudabilitatis, amoroſitatis & dignitatis Dei collegium & armarium. Tu diuinæ voluntatis, prouidentiæ, decretorumq; arbitra & executrix. Tu conflatorium pacis & iuſtitiæ, veritatis & miſericordiæ, Verbi perſonæ & humanæ naturæ. Tu charitatis diuinæ nucleus. Tu medulla miſerationis & bonitatis Diuinæ. Tu fundatrix humanitatis Chriſti Filii Dei. Tu fundamentum nouæ in Deo Trinitatis. Tu conciliatrix nuptiarum Dei cum Homine, Chriſti cum Eccleſiâ, Verbi cum animâ. Tu denique, ô MARIA, res & ſpes vniuerſi, Dei mater, Virgo admirabilis, pretioſiſſima Parens.

Theatrum omnipotentiæ Dei, officina virtutis eius, fons beneficiorum, gratiarum abyſſus, virtutum omnium diuinarum lectulus, perfectionum Dei theſaurus, conclaue Dei, palatium Trinitatis, arx vniuerſi, rerum ſumma, farrago bonorum, res & ſpes omnium, re-

clinatorium bonitatis & dignationis diuinæ, Propitiatorium creaturarum, Thronus gratiarum, vitæ vena, Mater omnium, benignitatis penuarium, diuitiæ mundi vniuersi, solatium & subsidium omnis indigentiæ creaturarum omnium, Regina omnium, beatitudo Angelorum, felicitatis sedes, decus omnium, vno minor Deo, vnâ inferior Trinitate, vná Dei dignitate posterior, fons essentiæ nostræ, arra salutis omnium, caput desideriorum, arbitra mundi, Imperatrix naturarum, vertex gloriæ, hortus deliciarum Dei, paradisus rationalis, initium omnium creaturarum, negotium sæculorum, cum Deo cuncta componens, vni secunda Deo, cognata Trinitatis, augustale incarnati Verbi, circumscriptio incircumscripti Dei, comparentalis Deo Patri, complementum & sanctificatio Sanctissimæ Trinitatis.

Ad te ô Collegium Sanctitatis conuertor & accurro, cum omnibus necessitatibus meis, tam priuatis quàm publicis;

tam

tam personalibus quàm communibus; tam amicorum quàm aduersariorum meorum, easq; tibi, Reginæ, Dominæ, ac Hæredi nostræ, humiliter & diligenter commendo.

Posside nos ô Domina, & cogita de nobis, atque in omnibus difficultatibus mentium & corporum nostrorum nos adiuua. Impetra nobis ea omnia, quæ scis Diuinæ circa nos voluntati complacere; repelle autem procul à nobis illa omnia, quæ in nobis nosti Diuinæ voluntati displicere.

Adauge, perfice, confirma in nobis quidquid prodest nobis. Neque sinas nos vnquam, à voluntate Dei, ab imitatione Filii tui, ab amore tui separari. Tibi omnium nostrum Dominæ, ab omnibus nobis amor & honor, per te autem Sanctissimæ Trinitati, Deo Patri Filio Spiritui sancto, à nobis, & ab omnibus creaturis, gloria, & obsequium, & exaltatio, in sæcula sæculorum, AMEN.

APOSTROPHE
SANCTI IOANNIS DAMASCENI
Serui mancipati Deiparæ, ad omnium creaturarum Dominam, Virginem MARIAM.

Orat. 1. de dormitione Sanctissimæ Dei genitricis, in fine.

O Domina, domina, atque iterum dicam Domina, Dei genitrix & Virgo; animas noſtras ad ſpem tuam, non ſecus atque ad firmiſſimam quandam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicamus ac conſecramus, pſalmis & hymnis ſpiritualibus, quantum poſſumus, honorantes. Etenim ſi, vt ſacroſanctus ſermo nos edocuit, honor is, qui conſeruis habetur, beneuolentiam erga communem dominum declarat; quo tandem modo ſtudium te honorandi, quæ Dominum peperiſti, negligendum erit? An non illud vel neceſſario ſpiritui præferemus, ac vel etiam ipſi vitæ anteponemus? Hac enim ratione noſtram

ram erga Dominum beneuolentiam
uculentiùs ostendemus. Quid autem ad Dominum dico? Sufficit enim certè iis, qui tui memoriam piè vsurpant, pretiosissimum memoriæ tuæ donum: quippe quæ eiusmodi lætitiam pariat, quam nullus eripere possit. Quanam enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam sanctissimæ memoriæ promptuarium effecit? Habes, gratitudinis ergò, has sermonum nostrorum primitias, ac pauperis animi nostri libamina, qui amore tuo incitatus, imbecillitatis suæ obliuione captus est. At tu cupiditatem benigno animo accipe, illud scilicet exploratum habens, eam viribus nostris superiorem esse. Tu verò, bona Domina, bonique Verbi parens, vtinam nos inspicias, ac res nostras arbitrio tuo regas & modereris, fœdissimarumque nostrarum affectionum impetum comprimas, fluctusque compescas, atque ad tranquillum diuinæ voluntatis portum dirigas, ac futura be-

atitudine dones, illâ inquam suaui & perspicuâ illuminatione Dei Verbi ex te incarnati, cum quo Patri gloria honor & imperium, maiestas & magnificentia, cum sanctissimo & bono ac viuifico Spiritu, in sæcula sæculorum,

AMEN.

Schema seu figura compedis Marianæ.



CHRI

CHRISTVS DOMINVS FASCIATVS A VIRGINE MATRE, primum Mariæ Mancipium.

Et pannis eum inuoluit. *Lucæ 2. v. 7.*

INfantem Virgo cupiens vincire Tonantem,
Dixit: panniculis te mea vita ligem?
Ah satis, ô fili, patieris vincla; sat istas
Vinciet immeritò dura catena manus!
O mea lux, tibi quot funes, ah quanta parantur
Vincula? te qualis fascia nate manet!
Fascia, quam texit tibi iam crudelis Idume,
Illa tuas stringet sat bene nate manus.
Vel nunc lude manus, posthac passura catenas;
Infantis saltem libera lude manus.

Hæc ait illachrymans. Iterum dolor incipit: Ergo
Stringent sæua tuas vincula nate manus?
Quin prior ipsa ligabo.manus; præludere vinclis
Nate iuuat; discas vincula nate pati.

Ad maiorem Dei gloriam, Beatissimæ Virginis honorem, & Sanctorum laudem.

Ad M. B. G. B.
M. J. C. honorem

BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS